

JACOBI MOLLERI
DISCURSUS
DE
CORNUTIS
ET
HERMAPHRODITIS
EORUMQUE JURE.

EDITIO TERTIA.

BEROLINI,
Apud JOHANN GUILIELMUM MEYERUM,
M DCC VIII.

PATRES CORNUTORUM CONSCRIPTI OMNIUM ORDINUM DIGNISSIMI.

VIRI.

PATIENTIA,

ILLUSTRISSIMI, GENEROSISSIMI, CORNIBUSQUE EMINENTISSIMI, MAXIMEQUE CONSPICUI.

DIu multumque cogitavi, animusque meus in ancipiti hæsit electione, cuinam hunc de Cornutis Discursum, horis otiosis collectum, dedicarem, celebrique ejus nomine conspicuum redderem: Sedet enim hæc communis plerisque scripturientibus parturientis hujus seculi opinio, in frontispicio suorum tractatuum atque elucubrationum, alicujus magni viri positum nomen, ut hederam vino vendibili suspensam, majorem applausum mereri, hujusque ad conspectum faciliores inveniri posse emptores; quibus tamen, ut non in totum, tamen ex aliqua parte, perversam opinionem libenter relinquo: Non etenim in totum hanc improbo, cum mihi hoc itidem exprobrari possit, quod Vestro, PATRES CORNUTORUM CONSCRIPTI, honorifico atque Spectabili Ordini hunc meum discursum dedicatum velim. Est equidem hoc aliquid fateor,

quod Vester Ordo conspicuus, licet visui humano inconspicuus huic discursui præliminatus, applausum aliquem faciet, salivamque ad ejus viscera perlustranda, penitusque inspicienda, movebit: attamen hoc non solum, quod mihi ad hanc inscriptionem stimulos addidit, sed magis Vestra in me, PATRES CONSCRIPTI, multa & præclara beneficia collata, variaque officiorum promptissimorum genera mihi exhibita, ne plane in Vos videar esse ingratus. Non tamen putetis, quod dum hoc ita facio, me cornua Vestra approbare, aut æquo animo tolerare, quod nonnulli vestrum ad cornua gerenda tam faciles & prompti sint, minime hoc! quin potius ea summopere improbo, maximoque cum fastidio intueor, deprecor & detestor. Vos etenim qui fascinato animo, turpissimo lucro addicti, variisque delitiis lautitiarumque generibus a corrivalibus vestris inescati, ab uxoribus cornua vobis imponi patienter toleratis, aut sub spe promotionis Patrono ac Mœcenati Vestro uxores vestras submittitis, & in gratiam illius cornua Vobis ipsis imponitis, gravissime in DEUM Omnipotentem, in Vos ipsos, Vestrasque uxores peccatis, & nil aliud nisi iræ Divinæ, gehennæque æternæ pœnas meremini. Vos etiam simplices & miselluli cornigeri, qui fato quodam & influentia astrorum ad cornua nati & destinata, & propter imperium & Dominationem Vestrarum Uxorum hæc gerere cogimini, moneo, ne ita patientes sitis, sed potius justitiam hac

in

in re prævalere debere putetis, & si non privata vestrum amicorumque correctione Uxores Vestræ libidinosæ ab execrandis istis cœptis desistere, ad sanioremque redire mentem velint, Judici indicate, ut dignas & promeritas violati tori conjugalis pœnas tam corrivales quam Uxores Vestræ luant, hoc si intermiseritis, participes vos hujus sceleris nefandi redditis, DEI iram incurritis, & gravissimas illi pœnas aliquando dabitis. Vos autem qui ab Uxoribus Vestris amantissimis ex lubrico ætatis & fragilitate sexus fœminei cornua Vobis imposita deprehenditis, propter amorem tamen in Uxores Vestras ardentem, opprobriumque hominum vitandum ea retegere recusatis, ignoscite fragilitati sexus fœminei, & si Uxores Vestræ ad saniorem mentem redierint, patienti animo ea quæ facta sunt & mutari non possunt, tolerate, concorditer cum Vestris uxoribus vivite, & remedia contra Cornigerium in Cap. VI. hujus tractatus præscripta diligenter adhibete. Valete, resipiscite.

ORDINIS VESTRI OSOR

Dab. die 31. Decembr. qui Sylvestro in fastis sacer est 1691.

AUTOR.

EPISTOLA AD LECTOREM

Benevolo Lectori Salutem.

Curiosam multorum fuisse, & adhuc ex oculi ferio hujus tractatus fore quæstionem scio, cur ridiculæ & jocosæ de Cornutis materiæ, quæ nullius fere usibus inserviet, & non potius utili, at in Jure controversæ, in elaborando tempus impenderim? cum juxta vetus proverbium πολυτελέστατον χρόνος ἀνάλωμα *sit, & non ludicris, sed magis rei seriæ litandum. Fateor equidem & ego ipse, omnino id perditum tempus esse, quod in tractandis nugis, ludicris & scurrilibus insumitur: attamen etiam hoc certum est, & multorum præstantium ac eruditorum virorum suffragiis suffulta sententia, non semper seria tractanda, sed animis quandoq; etiam remissionem dandam esse, otioque & jocosis rebus aliquid temporis tribuendum, quemadmodum sapientissimus Seneca, Ethnicus ferme Christianus vocitandus, in libr. de Tranquillitate cap. ult. suadet, his verbis:* Danda est remissio animis, meliores acrioresque requieti resurgent. *Et in Epist. 3.* Inter se ista miscenda sunt, & quiescenti agendum, & agenti quiescendum est; cum rerum natura delibera, illa dicet tibi, se & diem fecisse & noctem. *Id quod non solum in rebus animatis, verum etiam in animatis dilucide videre est. Arcus namque quantumvis fortis, tamen continue intensus, laxior debiliorque redditur: sic ubi homo sine aliqua intermissione, molestis ac tædiosis occupationibus inhærere necesse habet, facile contingit ut membra ejus corpore capiantur, & oculis ejus, invisus alias somnus, obrepat. Proinde ne animus plane debilitetur, & corpus ad labores sustinendos inutile reddatur, Viri Prudentes naturæ conducibile esse statuerunt, ut etiam illi, qui publico ætatem suam addixerunt, interdum suas dividias grata aliqua remissione distingvere omnino opus haberent. Hinc legimus summos quandoque viros necessario hoc otio potitos, nonnunquam professioni, uæ minus convenientes ac ludicros actus exercuisse, sicuti Lælius & Scipio olim ad Cajetam & Lucrinum vagas iittoribus conchas & umbilicos lectitasse, & ad omnem animi remissionem ludumque descendisse dicuntur. Nonnullos pilæ recreat lusus, in quo non animi tantum est recreatio, sed etiam corporis,*

omnium-

omniumque ejus membrorum salutaris exercitatio. Alexander post lectionem operam palestræ, aut sphæristerio, aut cursui, aut luctaminibus dabat, ut refert Lampridius in ejus vita. *Augustus post finem civilium bellorum, ab exercitiis campestribus ad pilam transiit*, Patric. Dialog. 25. *Vespasianus valetudine prosperrima usus est, quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces cæteraque membra sibimet ad numerum in sphæristerio defricaret*, Hotomann. in Comm. verb. 1. verb. Sphærist. *Nonnullorum animos Musicæ instrumentalis recreat, eosque torpore & cura fatigatos, jucunda Harmonia excitat. Nero oblectabatur fidibus ad insaniam usque, & in theatris Musica decertavit, non sine Majestatis Imperatoriæ dedecore, unde & numos lyra nota percussit, & statuas sibi cytharetico habitu posuit*, teste Svetonio. *Multorum eruditione præcellentissimorum virorum oblectatio cum Musis fuit, otiumque suum eruditum, animi & recreationis gratia, elaborationi vilis alicujus atque abjectæ materiæ impenderunt, quemadmodum videmus Excellentissimum Virum Danielem Heinsium laudem pediculi, ad Mendicorum Patres conscriptos, Desiderium Erasmum Roterodamum, Encomium moriæ, seu laudem stultitiæ, Thomam Morum laudem Utopiæ, Passeratium laudem cæcitatis, Erasmum Ebnerum Encomium formicarum, Puteanum de Risu, item encomium ovi, Casparem Crucigerum Discursum de Maxilla Asinina Samsonis, item Jacobum Masenium de honore anseribus custodibus Capitolii exhibendo, item de Barba militis. Joh. Balthasarem Schuppium, Orationem de Oratore inepto, de Lana Caprina, de Præstantia Nihili, item de Penalismo, multosque alios de similibus materiis eruditos Discursus, quos refert Dornavius, posteritati doctæ reliquisse, quin & non ita pridem, quidam sub ficto, licet haut ignoto nomine, Dissertationem Juridicam, de eo quod justum est circa Spiritus familiares fœminarum, hoc est; Pulices, anno 1682. alius Quæstum meretricium eruditis viris discutiendum exhibuit. Horum Excellentissimorum Virorum, licet iis minime sim comparandus, exemplo permotus, nullam unquam delectationem majorem duxi, quam eam, quæ mihi cum Musis meis fuit, & me, sicubi a strepitu & litigio forensi, otium aliquod mihi concessum, in Bibliothecam meam, quam Divina fa-*

vente

vente gratia, partim ex hæreditate Parentis mei chariſſimi, Rectoris quondam Scholæ hujus Senatoriæ per triginta ſex annos meritiſſimi, partim proprio ſumptu, ſatis inſtructam, Nemeſi tamen non irritata, poſſideo, abdere, in illaque otium meum honeſtum conſumere, & ex illius apparatu varios labores congerere, interque eos qui gratam aliquam aviditatem, propter eorum, uti quibusdam videtur, novitatem, erudito orbi quodammodo excitare queant. Hinc optima ſpe nitor, candidum & benevolum Lectorem neutiquam ſiniſtrum aliquod judicium de his meis diſcurſibus laturum, cum non excitandi riſus, aut ſcurrilibus nugis aures nonnullorum mulcendi gratia, illos conſcripſerim; non etenim γελωτοποιὸς ſum, neque ad ſcurrilitatem mens mea propenſa, ſed potius jucundum meum otium, grato applauſu probare voluerim; dum in priori nil niſi hiſce perverſis temporibus uſitatiſſimam & in exercitio verſatiſſimam materiam, de lenocinio & adulterio, pertractaverim, variisque Hiſtoriarum exemplis illuſtraverim, diverſaque diverſarum gentium pœnarum genera produxerim: In poſteriori vero de Hermaphroditis, quem propter nominis cognationem, cum Hermaphroditi & Androgyni dicantur, Androgynique etiam Cornuti ob imperium quod uxores in ipſos exercent, indigitentur; priori addidi, curioſas quasdam quæſtiones juridicas, non ita obvias, in praxi tamen Juris utiles, diſcuſſerim: aliique etiam Excellentiſſimi Viri, de his etiam materiis, utpote D. D. Georgius Francus, Academiæ Naturæ Curioſorum Argo dictus, Ocellus Medicorum Germaniæ, & Univerſitatis Wittebergenſis Galenus celeberrimus, de Cornutis, & D. D. Bauhinus, Anatomicus & Botanicus Univerſatisque Baſilienſis Profeſſor famigeratiſſimus, de Hermaphroditis eruditos Diſcurſus conſcripſerint. Age itaque Benevole Lector, hunc meum laborem otioſum ſerena fronte accipias, meque tuo favore ac amore complecti digneris, conſtabunt rurſus erga Te officia mea, quovis loco, quovis tempore promptiſſima atque paratiſſima. Momi autem, Zoili aut Gelaſini ſiniſtrum judicium ſusque deque habeo, ad illumque locum relegatum volo, quo cervi cornua abjiciunt. Vale.

CAP.

CAPUT I.

De Etymo, Homonymia, & Synonymia vocabuli Cornuti.

SUMMARIA.

Cornutus propriè dicitur (1) qui cornibus est præditus, 1
unde jumenta & pecora cornua gerentia, cornuta appellantur: Sic cornutos dixit Accius apud Non. pro cornigeris & aratoribus bobus, sine boum tamen adjectione.

Forte ante auroram radiorum ardentem indicem,
Cum sono in segetem agrestes cornutos cient,
Ut rorulentas ferro terras uvidas
Proscindant, glebasque arvo ex molli excitant.

uti refert Adrian. Turnebus adversar. *l. 29, c. 2.*

(2.) Etiam impropriè cornua tribuuntur aliis rebus, utpote 2
somno,

ſomno, ſicuti Servius in lib. 6. Æneidos Virgilii ſcribit, ſomnum ſolitum eſſe pingi cum cornu, ex qua conſvetudine etiam Valer. Flaccus *lib. 8. Argon.* ſcripſit:

- - Somne omnipotens, te Colchis ab omni
Orbe voco, inque unum jubeo nunc ire Draconem,
Quæ freta ſæpe tuo domui, quæ nubila cornu.

& Seneca in Apocolocynthoſi:

- - & obſcuri creſcebant cornua ſomni.

(3.) Item amnes & fluvii cornuti dicuntur, unde Græci fluvios vo-
3. cant ταυροκεράνους, i.e. Tauricornutos ſeu Tauriformes, maximè verò Acheloum totius Græciæ vetuſtiſſimum, ab Acheloo ita nuncupatum. Hic enim Achelous Deianiram Herculi pariter adamatam in matrimonium popoſcit, & propterea certamine definiri oportuit, utri horum cederet; Quare Achelous ſumpta tauri formâ in Herculem impetum fecit: Hercules huic cornu dextrum defregit, quod cùm deinde ab eo repeteret, Herculem Amaltheæ cornu ejus loco donavit. Victus igitur Achelous in fluvium Theſtium demerſus eſt, qui ab ipſo, cùm Rex Ætoliæ eſſet, Achelous nominatus eſt. Eſtque is fluvius, qui juxta Epirum Ætoliam ab Acarnania diſterminat. Sic & Aufidus Appuliæ fluvius Tauriformis dicitur ab Horatio *lib. 4. Od. 14.*

Sic Tauriformis volvitur Aufidus
Qui regna Dauni profluit Appuli,
Cum ſævit horrendamque cultis
Diluviem minitatur agris.

ubi Bond & Schrevelius notant, Aufidum ideo dici tauriformem, propter ejus impetum & mugitum, vel quod imbribus auctus relicto ſuo alveo exundaret ſæpius: inſuperque notat ibidem Schrevelius, ſe in vetuſtis Horatii membranis ſcriptum reperiſſe ſic: Flumina cum cornibus pinguntur, quia mugitum habent veluti boves, eorumque cornua arundinibus coronantur, quoniam ripæ arundinetis præfiguntur. Rectius tamen videtur fluviorum cornua ipſorum oſtia & ora dici, quo ſe in brachia vel partes dividunt, quemadmodum de Rheno dicit Virgilius:

- - - - - Rhenusque bicornis

exit enim duobus ostiis in Oceanum: Item:

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.

Sic & Valer. Flaccus *lib.8. Argonaut.*

Haut procul hinc ingens Scythici ruit impetus Istri,
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus.

nam septem, ut ait, exit alveis in Pontum Euxinum; vid. Adrian. Turneb. *Adversar. lib 23. cap.5. & lib.24. cap.40.*

(4) Quoque dicuntur cornua librorum. Veteres enim, ut in calce librorum coronidem appingebant, ita in fronte seu frontispicio, uti notat Turnebus *d. Adversar. lib.22. cap.10.* lunulam bicornem ad ornatum designabant, quod & Ausonius in *Commem. Profess. Burdegalens. 26.* innuere videtur, ita scribens: 4

Quos legis à prima deductos menide libri,
Doctores patriæ scito fuisse meæ.

Menis autem lunula est, quæ cum corniculata sit, idcirco & cornua Latini ea ornamenta librorum vocavere. Tibullus:

Atque inter geminas pinguntur cornua frontes.

Ovid. *Candida nec nigrâ cornua fronte geras.*

Sed & in fine librorum cornua ponebantur, ut ex Martialis *lib.2. epigram. 108.* constat.

(5) Sumuntur etiam cornua pro potentia & autoritate: Et in sacris quidem cornu autoritatis & excellentiæ signum est; Imo pro Rege ipso in sacris literis positum inveniri Pierius *lib.14. Hieroglyph.* asserit. Sic enim David à Saulis & aliorum inimicorum manu liberatus, pæana canit Deo, eumque vocat clypeum & asylum suum, & cornu salutis, *2. Reg. 22.* Et *Psalmo 112.* ait, Cornu ejus exaltabitur in gloria. Unde cùm in capite Geniti Cippi Prætoris subitò veluti cornua emersissent, responsum fuit à Vatibus Romanis, eum Regem fore, si in urbem revertisset, uti autor est Valer. Maxim. *lib.5. cap.7.* quam tamen historiam fabulosam credit Plinius *lib.11. c.37.* 5

Hinc etiam Bacchus Corniger & taurina facie ab antiquis effingebatur, ob victoriam & ingeniorum incitabulum vino adscriptum, eò quod potatores taurinum quiddam asseqvantur, a- 6

nimos nimirum ferociam & pugnacitatem, & neq; dicto neque facto pareant, sed ut animalia, quæ cornibus prædita sunt, ad feriendum sese paratiores ostendant, ut recte dixerit Horatius, Ebrietatem ad prælia trudere inermes. Et ob hanc animi impotentiam & ferocitatem M. Crassus fœnum in cornu habere dictus est: Nam cùm Sicinius quidam, effusissimâ dicacitate omnes perstrinxisset, uni autem M. Crasso pepercisset, ac cur uni huic parceret, fuisset interrogatus; fœnum eum in cornu habere respondit; arguens nimirum insolentiam ejus, quæ ex nimiâ pabuli ubertate & opibus resultaret, atq; dignum eum significans indicio fœni, quod boum cornibus solebat alligari. Mos enim fuit apud Romanos, cornupetorum boum cornua fœno circumligare, ut obviam prodeuntes cavendum sibi admonerentur. Henr. Salmuth. *in notis ad Pancirolli Rer. Memor. l. 1. tit. de Fibula p. m. 370.*

7 Historiarum monumentis consignatum reperimus, Ducem Venetianum (qui suo Idiomate il Doge appellatur) quod caput non coronâ sed cornu ornet, eoq; loco Diadematis utatur. Solet enim publico se exhibiturus caput primum tegere vittâ albâ ex tela linea confectâ, quasi ad imitationem Diadematis, quo Athenis Magistratus insigniebatur: Huic deinde vittæ superimponit mitram rubei coloris, gemmis atque auro variegatam, quæ versus occipitium in cornu erigitur. De hoc cornu notandus est locus apud Armelot de la Houssaie, *dans l' Histoire du Guvernement de Venise part. 2. p. m. 244.* quem hic latinè versum appono: Dux, *inquit*, legatis assurgit, cùm in concilium veniunt, caput vero non denudat. Dicunt enim Veneti, cornu Ducale, quod capite gestat, esse Symbolum Regalium, & absolutæ potentiæ, quibus Respub. Veneta præpollet. Quapropter ipsi Duel, cûm absolutè supremus non sit, non licere omnibus iis, quibus velit, submittere cornu: *uti etiam hæc notat Autor*, Cornu Ducale est mitra, quæ postica parte, formâ cuspidali rotunda efficitur. Sansovinus rationem reddit, cur Dux eâ nunquam detegatur, his verbis (quæ ex Italico Latinè reddita ita sonant:) Respublica eo ipso demonstrat Autoritatem Ducis limitatam esse, ipsumque adeò de dominio pro lubitu disponere non posse.

Cornua

Cornua etiam hominibus appropriata sunt, ex indeq; cornuti appellati. Hinc Cornuti vocantur Beani, Germanicè Bachanten/ 8
qui nondum ritum depositionis sustinuerunt, de quib9 facetum Epitaphium ponit Excellentissimus Dn. D. Dornavius in jocosa Diatribe de Beanorum & Cornutorum affectibus & curatione.

Heus tu, qui præteris, gradum
Siste, considera fatum,
Nefandum, miserabile,
Durum & inexorabile,
Johannes guck ins Muß genandt
Qvi natus est in Hörnerland.
Hic dum vellet deponere
Cornua præ magno onere,
Propter ingentes mœrores,
Et maximos dolores,
Mortuus est, jacet in pace,
Jam abi domum mox, & tace.

Dicuntur itidem Cornuti Operæ Typographicæ, antequam 9
examen profectuum & cognitionis artis suæ subeant, Es werden auch diejenigen/welche die Buchdrucker-Kunst gelernet/so lange Cornuten geheissen/biß sie ihr Postulat verschencket.

Dicti fuere & milites cornuti, sicuti ex Ammiano Marcelli- 10
no refert Cœlius Rhodiginus *Antiq. lect. lib. 17. c. 10. lit. E.* Cornuti, *inquit*, & braccati, usu præliorum diuturno firmati; sicuti apud eundem Marcellinum etiam est Tribunus Cornutorum. Rationem hujus rei, quare cornuti appellati milites, reddit Gerhard. Joan. Vossius *in edecumatissimo suo tractatu de Origine & Progressu Idololatriæ lib. 1. cap. 27. p. m. 201.* ubi Ammonem & ejus filium Osiridem cornutos fictos refert. Cornuti, *ait*, exinde dicti, quod pellem capitis bubuli cum cornibus pro galeâ habuerunt. Vetustissimis enim temporibus galeæ fiebant ex pellibus mutorum animantium; Quod & appellationes indicant. Nam Κυνέην dixere, si foret è pelle canina; λυκέην, si è lupina &c. Postquam verò pro pelliceis galeis introductæ sunt æneæ ac ferreæ, figuram tamen muti animantis, aut capitis saltem in eâ expresserunt. Itaq; galea

nunc capite leonis erat insignis, nunc integri vulturis figura, & ita in aliis: cujus rei ignoratio spissos in historia peperit errores. Exinde etiam Ammonem & Osiridem cornuti effícti sunt, non quasi cornua capiti fuerint adnata, sed quia pro galeis in bello usi cornutâ capitis bubuli pelle. Alteram rationem addit Diodorus, quare nempe Osiridis capiti cornua addantur, nimirum quod bobus arare docuerit Ægyptios, cum bos sit agriculturæ symbolum, *uti tradit Vossius d. loc.*

11 Dicuntur etiam milites Cornicularii, quorum *Wolffgang.* Lazius *lib, 4. Comment. Reipub. Roman. cap.* 12. duo facit genera, & alios existimat à corniculis dictos, sub quibus militabant: alios à corniculorum dono atq; decore appellatos; cujus doni Livius mentionem facit, ubi de Papirio Consule: *Equites omnes ob insignem in bellis operam donasse corniculis armillisque argenteis.* Quod hodieq; *ait*, aliqvot Germaniæ Principes in more habere, ut aulicos suos multo tempore cognitos, & variis ministeriis feliciter adhibitos corniculis argento comprehensis ex humeris suspensis donent. Lipsius in ea fuit opinione, cornicularios dictos, quod cornu ductarent in cohorte Tribuni. Sed hæc tam Lazii quam Lipsii opinio non probatur Christ. Adam. Ruperto, *in Dissert. ad Valer. Maxim. l. 6. c. 1. p. m. 363.* cum neuter demonstrare poterit ullum in acie vel exercitu vel alâ vel cohorte Romana corniculum; insuperq; hoc addit: Nobiliores militum apud veteres habebant varia insignia in galeis. Ipsas cælabant variorum, nunc sphyngis, nunc virginis marinæ, nunc Hippepotami, modo noctuæ, modo gryphis, vel alterius animalis, modo etiam bigarum figurâ. Fuit eadem consvetudo apud Cares, qui teste Plutarcho in Artaxerxe propter galeas cristis insignes, militari lasciviâ *ἀλεκτρυόνες*, galli gallinacei vocitati fuerunt. De Germanis Gallisque hoc ipsum testatur Philip Cluver. *in German. Antiqu. l. 1. c. 44.* ubi scribit, milites galeis cristarum adjectione terribiliorem speciem addere, eò quod primi in omnibus præliis oculi vincantur. Hæ igitur cristæ cum essent divisæ in cornua, cornicula dicta; & ut observat Salmasius *ad Solinum p. 548.* etiam vera cornuum similitudo ære vel ferro exprimebatur in galeis. Hujusmodi corniculum cum

unum

unum haberet in galea Craterus, *μονόκερως* dictus est. Ab eisdem corniculis Comœdiæ Plautinæ nomen CORNICULARIA, in qua miles corniculis insignem galeam gestans traducebatur, ut habet Varro *de Ling. Lat. lib. 4.*

Cornicularìorum etiam in jure nostro fit mentio, *utpote in l. 3. C. de offic. divers. judic.* ubi Cornicularium illum fuisse putat Guido Pancirollus *in Notitia Dignitat. Imperii tam Orientis quam Occidentis l. 1. c.* 11. qui jussa, sententias & decreta Præfecti Prætorio, aut Præsidis scribebat & publicabat. Cassiodorus *lib.* 11. *variar. cap. 36. in med. ad Anatholicum Cancellarium* Provinciæ *Sænnii* sic de Corniculario scribit: *Præfuit, ait, juribus Secretarii Prætoriani.* Secretarium verò pro usu illorum temporum tribunal appellat, in quo sensu & jura posteriorum temporum accipiunt, *ut tradit idem Pancirol. d. loc.*

Cornicularius quandoque etiam Cancellarius dictus est; quanquam is propriè erat, quem extra cohortem secum in provinciam Præses scribendi causa ducebat; qui enim Decreta scribebat, ab officio, ut apparitor esset, eligendus erat. Cornicularius autem, quod pro insigni, cornu uteretur, vel forte ex eo silentium litigantibus indiceret, denominari potuit. Julius Firmicus eum sententias in delinquentes latas scripsisse innuere videtur *l. 1. Mathesel. c. 6.* Erant, *inquit*, Cornicularii aut Commentarienses, quibus damnatorum cura committebatur. *Panciroll. d. loc. ubi plura de Corniculario.*

Cornuti etiam ii vocantur, qui subsessores sui matrimonii patiuntur, suarumq; uxorum lenones sunt, qualis apud Herodotum *lib. 1.* Candaules fuisse legitur: quasi scil. Epidii Nuncianii sortem habeant, quem ferunt olim præcipitatum in fontem fluminis Sarri, paulo post eum cornibus exiisse: aut Germani sint illius venatoris cornigeri, qui quod in fontibus lavantem se Dianam conspexisset, pœnam curiositatis suæ hoc modo invenit. Sic Paulo Jovio in vita Gubratii Sfortiæ Mediolanensis tales homines cornuti vocantur, vulgatum tunc inter fœminas fuisse scribenti, *nullam ex Principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui inepti hirci videri possint, ita excellere aureis cornibus, ut dignitate cunctos anteirent.* 12

Apud

13 Apud Lusitanos etiam Indosque summi probri nota est, si quis aliquem vel re vel specie cornutum habeat, aut cornu monstret, januæ affigat aliove modo proferat, quippe cum vulgari elogio cornutus habeatur, quem prostitutæ uxoris libido infamat, uti testatur Joh. Hugo Linscotanus in Itinerario in Indiam Orientalem *c.61.* ubi hæc insuper addit; *Cùm locus sit in Insula quadam Goa, in quo temerè cornua projecta post aliquod tempus ex interiori parte terræ ad fixa radices agant, palmi unius & quod excurrit longitudine, singulari sane in loco præsertim lapidoso & infœcundo alias, incremento, cum nusquam terrarum simile in cornibus exemplum aut extet, aut etiam memoria proditum sit: exinde fieri, ut Goenses supra omnes mortales excellentiâ cornuum præstantes, diuturna ac perpetua infamia laborent, cum alibi ipsa cornua abscindi queant aut detruncari, ibi autem radices altè agant, & infesta semper cum desperatione conjugalis pudicitiæ, novis pullulent incrementis.* Vide etiam Henr. Salmuth *in Notis ad Guid. Panciroll. Rer. Memorab. lib.2. tit.1. p.m.131.* Et de hujusmodi cornutis in hoc tractatu sermo erit.

14 Quare autem hujusmodi hominibus nomen Cornuti impositum sit, & quæ hujus nominis sit ratio, non satis liquet. Sunt qui cornutum dici volunt, quasi corde nudum, qui dedecus tale patitur: Nonnulli hujus nominis originem deducunt à coruca, eâ nimirum ave, de quâ veteres & nostri hodie in emblematibus tradunt, cuculum in nido illius ova parere, illam hæc fovere, incubare & exclusos inde pullos educare. *Joh. Parlador. rer. quotidianar. l.1. c.17. n.6.* quam & ob caussam Juvenalis maritum mœchæ & qui adeò patris nomen sustinet, licet plures in eâ officina laborent alii, corucam vocat, *lib.2. Satyr.6. vers.275.*

Quid tibi nunc coruca places.

etsi non desunt, qui urticam vel erucam legendum ibidem existiment. In Feudorum libris barbarum verbum cucurbitare eo sensu aliquoties usurpari legimus, ut cùm Vasallus Feudum amittere dicitur, qui Dominum cucurbitaverit, i.e. cum uxore ejus concubuerit. Quidam verò existimant istius verbi convitium promanasse ab Imperatore Andronico, qui cornua cervorum insignia & rari aliquid habentia in porticibus fori suspendebat, specie

cie quidem oſtentandæ magnitudinis ferarum quas cepiſſet cùm tamen revera civitatis mores, & uxorum quas ipſe comprimebat laſciviam notaret. *Nicet. de Imperat. Andronico lib. 2.*

Cornuti alias etiam vocantur Coci, *Alciat. lib. 7. Parerg. cap. 4.* 15
Italis dicuntur, Becci cornuti, Germanis dicuntur Hahnrey / it. gedultige Männer / it. gute fromme Männer; ſicut & apud Latinos talis bonus vir, bonus Homo audit, ita ut ſi quis aliquem malo animo bonum virum appellet, actione injuriarum talis conveniri poſſit, quaſi dixerit, quod uxor ſua ſit adultera, *Nevizan. in Silv. Nuptiali lib. 4. n. 76.* Quo pertinet illa inſcriptio veteris lapidis, quam annotavit Caſaubonus:

D. M.
ÆMILIO VALERIO
CHORINTO HOMINI BONO
QVI VIXIT ANNO XL.
DEFUNCTO HONORIBUS ÆDILITIIS
ANTONIA TORTONIA
MARITO OBSEQVENTISSIMO.
B. M. F.

Ubi *hominem bonum* appellari Scipio Gentilis *in Comment. in Apologiam Apuleii n. 997. p. m. 497.* ſuſpicatur uxorium & effœminatum plane fuiſſe & nimiæ facilitatis, idque & naturæ & inſtitutis moribusq; omnium gentium, quæ viro obſequentem fœminam eſſe volunt, minus convenienter.

CAPUT II.

De Cornutorum Definitione & Diviſione; & 1. de Neceſſariis & coactis.

CAPUT II.

SUMMARIA.

Cornuti definitio in genere. n. 1.
Cornutus necessarius seu coactus quis? 2.
Scotorum lex & mos de communione uxorum. 3.
Volsiniensium Sponsæ. 4.
Jus laxandæ coxæ & cunnagii apud Lugdunenses. 5.
Andromachidarum mos. 6.
Canariorum mos. 7.
Nasamonum mos. 8.
Augylarum mos. 9.
Gvidarum mos. 10.
Stymphali. 11.
Heliopolitarum mos. 12.
Thracum mos. 13.
Lyndorum mos. 14.
Punicarum mulierum mos. 15.
Tuscorum mos. 16.
Scytharum & Cypriorum mos. 17.
Illyricarum virginum mos. 18.
Phœnicum mulierum mos. 19.
Syracusanorum lex. 20.
Thebanorum ritus. 21.
Getulorum seu Gelonum lex. 22.
Incolarum Insularum Balearium mos. 23.
Medorum Armeniorumq; mos. 24.
Lituanorum adoptores matrimonii. 25.
Babyloniorum Conjugum mos. 26.
Indorum mos. 27.

1 Cornutus sic definiri potest, quod sit persona patiens uxorem suam ab alio explendæ libidinis, cucurbitari.

Dividuntur Cornuti 1. in Necessarios seu coactos, 2. Voluntarios, 3. Involuntarios.

2 Necessarii seu coacti cornuti sunt, qui vi statuti vel consvetudinis alicujus loci subsessores uxorum suarum pati coguntur. Hujusmodi cornuti coacti olim fuerunt Scoti, ubi Evenus III.
3 Rex Scotorum non contentus centum è Nobilitate concubinis, taste Georgio Buchanano *rer. Scotic. lib. 4.* legem tulit, ut cuivis liceret, pro opibus quot alere posset, uxores ducere, & Rex ante nuptias Sponsarum Nobilium, Nobiles plebejarum prælibarent pudicitiam, & ut plebejorum uxores cum Nobilitate communes essent. Hanc vero legem Milcolumbus III. Rex Scotiæ LXXXVItus longo tempore post, uxoris precibus motus abrogavit, & sanxit, ut primam novæ nuptæ noctem, qvæ Proceribus per gradus quosdam Lege Regis Eveni debebatur, Sponsus dimidiatâ argenti marcâ redimere posset, quam pensionem adhuc Marchetas

mu-

mulierum vocant. Sic etiam Volsinienses servili pressi domina-
tu filias ingenuas Sponso jam destinatas servis prius delibandas 4
dare cogebantur, ut refert Alexander ab Alexandro *Genial. dier.*
l.2.c.24. Huic non absimile est illud pactum turpe & illicitum, 5
quod Canonicis & Comitibus Lugdunensibus quondam licen-
tiam dabat pro recognitione feudorum prima nocte concum-
bere cum Vasallorum Sponsis: Quod pactum jus laxandæ coxæ,
aut Cunnagii jus nominarunt, Camill Borell. *Consil.1.n.151.* Chop-
pin. *ad* LL. *Andegav. l.1.c.31.n.8.* Sic item Andromachidæ Lybies, 6
virgines nupturas Regi exhibebant, & ille, quæ sibi placeret de-
virginabat, ut autor est Herodotus *l.4.* Sic quoq; Canarii populi 7
Conjuges prius non accipiuut, quam à Principe deflorentur, id-
que apud eos decus dicitur, Autore Archangelo Madrignano in
Itinerario Portugalensi. Tiraqu. in L.7. Connub.n.64. Nasamonibus 8
mos est, ut cùm quis primùm uxorem duxit, primâ nocte Sponsa
singulos convivas obeat, Veneris gratia, & ut quisq; cum eâ con-
cubuerit, donum det illi, quod secum domo attulit, ut refert He-
rodotus *in Melpomene.* Augylarum fœminis similiter solenne erat 9
nocte qua nubunt, omniũ stupro patere qui cum munere adve-
niunt, & tum cum plurimis concubuisse maximum decus est, in
reliquum pudicitia insignis, tradente Pomponio Mela *l.1.* & Soli-
no *c.44.* Apud Gvidanes quoque uxores fuerunt pelliceas, sin- 10
gulæ multas, ob quod ut à quoquo viro venerem passa est, fim-
briam orat, ut quæ plurimas habet, ita præclarissima censetur,
tanquam à plurimis viris adamata, teste Herodoto *l.4.* Stympha- 11
li itidem mulierem eam in honore habent, quæ cum pluribus vi-
ris venerem exercet, Zenodotus *in proverbio* νόμος καὶ χῶρα. A- 12
pud Heliopolitanos mos erat, ut fœminæ antequam nuberent,
passim sese prostituerent in Veneris templo, postea verò abstine-
rent: Quem tamen morem Constantinus Imper. abolevit. Cas-
siodor *l.1. Histor.c.9. & l.6.c.12.* Similiter Thraces virgines non as- 13
servabant, sed quibus libebat cum viris concumbere sinebant,
uxores autem factas vehementer asservabant, autore Herodoto
l.5. circa init. Lydorum itidem mulieres ante Conjugium passim 14
substratæ amatoribus hospitali eos benignitate plerumque exci-

piunt,ac dona iis exhibent longe plurima quam ipſæ accipiunt; eum tamen habent delectum ut in turpitudinis fœdera condignos tantum accipiant; cum autem ſemel copulatæ fuiſſent, deinde omni tempore continentes eſſe debebant: Quæ vero poſtea cum alio rem habuiſſet, veniam nullâ ratione conſequi poterat,ut refert Herodot. *l.5.*& Strabo *l.11.in fin.* it.Ælian.*var.hiſtor.l.4.*
15 *c.1.in fin.* Punicis autem mulieribus & is mos fuit,ut antequam nuberent,in fanum Veneris,quod Sycæ erat,ſeſe conferrent, atq; inde procedentes quæſtum dotis corporis injuria contraherent, honeſta nimirum cum inhoneſto vinculo conjugia junctur æ.
16 Id quod etiam apud Thuſcos celebratum tradunt,ut virgines dotem ſibi corporis quæſtu compararent, unde illud Plauti in Ciſtellaria *Act. 2. Scen.3.*

Ego te reduco & voco ad divitias, ubi
Tu locere in luculentam familiam:
Unde tibi talenta magna viginti pater
Det dotis: non enim hic ubi ex Tuſco *modo*
Tute tibi indignè dotem quaras corpore.

Ad quem Plauti locum ex J.Palmerio notat Taubmannus, hunc modum Tuſcum eſſe fidicinum & tibicinum; hoc enim notum eſt,antiquitus fuiſſe Romæ Tuſcos augures,haruſpices,ludios,tibicines.Inde tuba Hetruſca. Sed & Tuſcie Lydia,unde modi Lydii,ibidem in Tuſco vico habitabant Scorta apud Horatium:

- - - - *Tuſci turba impia vici.*

Jam ergo ludit in verbis Tuſco modo. Significat enim numeros laſcivas in re Veneris & Schemata libidinis.Hæc Taubman.*d.loc.*

17 Mos quoq; Scythis Corſisq; fuit Virgines ante nuptias nautis proſtitutas in littus ducere. Cypriis item mos erat, virgines ante nuptias ſtatis diebus dotalem pecuniam quæſituras, in quæſtum ad littus maris mittere pro reliquâ pudicitiâ libamenta veneri ſoluturos, *teſte Juſtino lib.18.* de quibus etiam Lanctantius *l.1.c.17*,ubi ejꝰ moris Venerem autorem fuiſſe ſcribit,ne ſola præter alias mulieres impudica & virorum appetens videretur. De
18 Illyricis quoq; ſcribit Varro *l.2.de R.R. c.10.* Virginibus nonnunquam annorum viginti morem eorum non denegare, ante nu-

ptias

ptias ut ſuccumberent quibus vellent, & in comitatis ut vagari liceret, & filios haberent è qvibus vellent. Phœnices mulieres 19
cùm ſacra Diis ſuis facerent, ſeſe palam proſtituebant, hujusmodi corporum ſuorum fœdo mercimonio Deum ſuum ſe placare arbitrantes, & per hæc ſcelera propitium facere, *ut refert Athanat. ſius contra Gentiles.* De quibus etiam Auguſtinus *de C.D.lib.4.c.10.* Phœnices, *inquit*, Veneri donum dabant de proſtitione filiorum, antequam jungerent eas viris. A Syracuſanis lege ſancitum e- 20
rat, ne mulieres majori ſumptu ornarentur, priusquam ſe conſtupratas & omni nequitia impudicas docerent. Apud Thebanos 21
â Sacerdotibus Jovi ſacrabatur virgo, genere clariſſima & ſpecie pulcherrima, quæ pellicis more cum quibus libebat commiſcebatur, usque ad naturalem corporis purgationem mox viro dabatur, *autore Strabone lib.ult.*. Apud Getulos, ſeu ut alii legunt 22
Gelones, lege cautum erat, mulieres quoscunq; velint viros convenire poſſe, nec tamen ob id à maritis accuſari, vel adulteras appellari, cum tamen paſſim omnibus miſceantur, ac præcipuè advenis. *Euſeb. præparat. Evangel. l.6.c.8.* Qui Inſulas Baleares inha- 23
bitant, in epulis quæ cum domeſticis amicisque in nuptiis fiunt, primis ſecundusque & deinceps reliqui ſecundum ætatem nuptam cognoſcunt, Sponſo vero ultimus locus ad uxorem datur, *ut refert Diod. Sicul. lib.6.* Medi Armenique Anaitidi Deæ, quam 24
inprimis colunt, dedicant filias in fano illius vetuſtiſſimo & ſanctiſſimo, qua corporis pudicitia in vulgus proſtratâ velut inde auguſtiores factæ mox traduntur viris, nemine non conjugia illa alacriter appetente, ut tradit Strabo *lib.11. circa fin.* illius autem Deæ ſtatua ex ſolido auro conflata erat, quam Marcus Antonius compilavit, cujus etiam meminit Plinius *lib.33.cap.4.* Apud Li- 25
tuanos Matronæ nobiles viris permittentibus publicè concubinos habent, quos matrimonii adjutores vocant, viris verò turpè eſt ad legitimam conjugem, pellicem adjicere, teſte Ænea in Europæ deſcriptione *c.26.* & ex eo Tiraqv. in *L.7. Connub. n.16.* Ba- 26
bylonii Conjuges cum hoſpitibus ſtupro coire, modo pretium flagitii detur, teſtatur Curtius *lib.5.* de quibus etiam Strabo *lib.16.* hæc refert; Babyloniorum mulieribus mos eſt cum hoſpitibus
 permi-

permiſceri cum turba & cultu plurimo. Qui vero ad mulierem admittitur, poſito ſuper ejus genibus argento, quantum ſibi videtur, coit, longè eâ à fano abductâ. Id vero argentum Veneri ſacrum eſt. Id quod etiam pluribus perſequitur Herodotus *lib. 1.* Una, *inquit*, iisdem Babyloniis lex eſt omnibus modis execranda: Nempe omnibus mulieribus indigenis commune eſt, ſemel in vitâ ad veneris templum deſidentibus, cum externis viris conſvetudinem habere: Cæterûm cùm plerumque ſint divitiis tumentes, qua ſui copiam facere recuſant, hæ vehiculis cameratis ſubvectæ ante templum conſiſtunt, relictâ interim â tergo magnâ famulitii turbâ. Pleræq; etiam hunc in modum faciunt: Ad templum Veneris ſedent, nodis coroliisque tempora revinctæ, è quibus dum aliæ ſeorſum abeunt, aliæ regrediuntur: Nam diverticula undecunque ſic funiculis diſtincta aditum præbent externis ad mulierem illam, quamcunque libuerit, diligendam. Porrò cum ſemel illæ conſederint, non prius domum regrediuntur, quam hoſpitum aliquis pecuniam mulieri in ſinum injecerit, & cum eadem ſeorſim à fano abductâ rem habuerit. At vero pecuniam illam, quantulacunque ſit, non eſt fas rejicere, ſiquidem in ſacrum uſum convertitur: Neque etiam mulieri permittitur hoſpitem repudiare, ſed quicunque is ſit, qui pecuniam obtulerit primùm, hunc illa ſequitur citra delectum. Poſtremò ubi jam congreſſa fuerit cum externo mulier, Deâ expiatâ, domum revertitur. Subditque, eas, quæ formâ ſunt elegantiori, citiùs, (ut par eſt,) expediri, quæ verò deformes diutius cogi deſidere ante templum, antequam legi ſatisfiat, fierique interdum, ut uno atq; altero anno, aut etiam triennio atque diutius expectare miſeras oporteat.

27 Apud Indos quoque mulieres alioquin virorum amantiſſimæ, ut quæ cum maritis mortuis teſte Abrah. Rogero in ſeiner offenen Thüre zum verborgenen Heydenthum *part. 1. cap. 20.* ſeſe concremari ſinunt, tamen pretio oblato amatoribus pudorem ſubſternunt, nullo inde famæ diſpendio, cùm laudi facinus ducatur, quod tanti earum forma cenſeatur. Virgines autem cum nubiles eſſe cœperint, nullâ dote datâ vel acceptâ in publicum à parenti-

rentibus producuntur, accurrente, ut assolet, multitudine, libera illis datur optio, è juvenum turba viros sibi deligendi, quos virtute aliqua insigniter præstantes putaverint. Et de iisdem etiam scribit Strabo *lib. 15.* licere eis fornicari, nisi eas mariti castas esse cogant. Quin & hodie Indicæ Virgines ante connubium prostituuntur, nuptæ vero prima nocte cum Sacerdotibus jacent, cum quibus etiam Regum absentium uxores concumbunt, uti refert Volateranus *in Geograph. l. 12. cap. ult.* & ex eo Tiraqu. *L. 7. Connub. n. 58.* De Indis quoq; idem testatur Abrah. Roger. des Indianischen Heydenthums *part. 1. cap. 11. in Not. p. m. 99.* his verbis: Ungefehr bey Goa/so die Hauptstadt in Indien/ ist es der Gebrauch/ wenn etliche vornehme Herren sich in den Ehestand begeben / daß sie allezeit ihre Könige oder Ober-Herren darum ersuchen und bitten / daß sie ihnen wollen belieben lassen/ihren Bräuten die Jungferschafft zu nehmen/ und zwo oder drey Nachte bey ihnen zu schlaffen: wenn nun solches geschehen/so kommt alsdann der Bräutigam und hohlet seine Braut mit Pfeiffen/Trommeln und andern Kurtzweilen wieder. Sic etiam refert Joh Albr. von Mandelsloh in seiner Morgenländischen Reise-Beschreibung *l. 2. c. 10.* Daß heutiges Tages in der Landschafft Malabara wie auch bey den Einwohnern Cotschin und Calecuth in Ost-Indien der Brauch/daß keine Jungfer vertrauet wird/es sey ihr denn zuvor die Jungferschafft durch einen ihrer Pfaffen genommen/dem davor eine Summa Geldes gegeben wird / und ist von diesem Gebrauch auch des Königes Braut nicht ausgeschlossen: Daher allhier des Königs Sohn nicht seines Vaters Stuhl-Erbe seyn kan/sondern des Königs Schwester Sohn/damit sie des Königlichen Geblüts halber destomehr versichert seyn. Denn ihre Geistlichen die Bramines nicht allein der Königin/wie gemeldet/ die Jungferschafft benehmen/ sondern auch hernach sie gar offt besuchen / sie in ihren Gesetze zu unterrichten/und wenn der König verreiset/der Königin Gesellschafft zu leisten. Also sollen die Einwohner zu Malacca die Ausländer bitten/daß sie die erste Nacht (und weiters nicht) in der Hochzeit bey ihren Bräuten/ihnen die Jungferschafft zu nehmen/schlaffen De Rege Calicuthiæ etiam scribit Rogerus d. loco ita: Es soll der König von Calicuth allezeit seine Frau so er heyrathen will / von der ansehnlich-

sten Priester einen beschlaffen lassen/ ehe denn er Beylager mit ihnen hält; dafür er ihnen eine Summe von fünff hundert Kronen verehret. Et hæc de necessariis & coactis cornutis, quibus libenter ipsorum morem & consvetudinem relinquimus.

CAPUT III.

De Cornuto Voluntario.

SUMMARIA.

Cornuti voluntarii descriptio. num. 1.
Communio uxorum apud multas & varias gentes. 2.
Cornuti ex simplicitate. 3.
Viri quibus uxores dominantur non sunt Domini sed famuli. 4.
Bactri, Susii & Sauromatæ fuerunt γυναικοκρατούμενοι. 5.
Mariti quibus uxores dominantur, omnibus sunt contemptibiles. 6.
Cornuti quæstuarii seu lenones. 7.
Leno magis delinquit quam meretrix. 8.
Lenocinium gravius est adulterio. 9.
Non solum leno est is, qui uxorem suam prostituit & aliis concedit, sed etiam qui hoc permittit & patitur. 10.
Cornuti ex impotentia. 11
Conjugium cum impotente contractum est plane infelix. 12.
Mulier nubens marito impotenti potest agere ad rescindendum matrimonium. 13.
Exempla quorundam Conjugum qui impotentiam alterius conjugis patienter tulerunt. 14.
Paucæ reperiuntur uxores maritorum impotentiam æquo animo ferentes. 15.
Adulterium ab uxore propter impotentiam mariti commissum levius punitur. 16.
Lycurgi institutum. 17.
Tapyrorum mos. 18.
Solonis legibus licebat uxori, si vir idoneus non esset, propinquos mariti ad concubitum admittere. 19.
Charondæ lege eodem fere modo. 20
Lituaniæ mulieres habent certos Coadjutores matrimoniales. 21.
Cornuti amicitiæ caussa. 22.

Cornu-

Cornutum voluntarium sic describere libet, quod sit bonus vir, qui vel ex causa simplicitatis & obsequii erga uxorem, vel commodi & lucri, vel necessitatis ob impotentiam, vel etiam amicitiæ, subsessorem matrimonii sui patitur. 1.

Apud Gentes quidem, quos Deus nulla sui agnitione afflavit, primum homines promiscue sicut feræ bestiæ coiverunt, quemadmodum hoc passim historiarum monumentis consignatum reperimus. De Garamantibus refert Tiraquellus *in Leg. Connub. 7. n. 53.* eo modo vivere, ut uxoribus communibus utantur, & hoc etiam alios plurimos facere, videlicet Ilophagos, & Ichtiophagos, qui & ex Æthiopibus sunt Massagetæ, Troglodytæ, Agathyrsi, Maclyes Poenorum populi, Auses, Mosyni, Brachmanes Persarum sapientes, Tyrrheni, & ex Arabibus ii, qui in Oceano sunt versus meridiem, Scoti, Asoti, Galactophagi, gens Scythica, & in universum alii Scythæ, Hyrcani ante Alexandri tempora, Persæ, Nomades. De Ilophagis, aut ut alii vocant Hylophagis & Ichthiophagis testatur Diod. Siculus *l. 5. Bibliothecæ c. 3.* ubi dicit, eos mulieres, in quascunq; inciderint, cognoscere prolis caussa. De Massagetis Eudoxus in prima periodo, & Laertius in Pyrrhone, sed ii non ita habent communes, ut cæteri: quandoquidem singuli singulas ducunt, sed utuntur uxoribus aliorum, idq; non occulte; nam qui cum alienâ congrediatur, pharetram e curru suspendens, in propatulo coit, ut scribit Herodot. *l. 1. in fin.* & Strabo *l. 1* Ælian. *l. 6. animal. c. 60.* De Troglodytis idem Strabo *l. 16.* & Diodor. *l. 4. c. 3.* De Agathyrsis, Mechlibus & Ausibus Herodotus *l. 4.* Nam de illis ita scribit: In commune cum mulieribus coeunt, ut inter se Germani sunt & domestici omnes. Id quod ex eodem repetit D. Maximus *in Loc. commun. serm. 60.* & idem propemodum tradit Serin. apud Stobæum *serm. 42.* De istis quoque Herodotus *d. loc.* Mechlyes & Auses, *inquit*, promiscue cum mulieribus, non unâ habitantes, sed pecudum more concumbunt. Hanc tamen uxorum communitatem seu potius promiscuitatem, præter Lactantium *lib. 3. cap. 21. & seqq.* Chrysostomum *Homil. 1. in Johan.* Epiphanium, *lib. 2. Hæreseor. cap. 32.* & alios præstantes Theologos, refellit Cassius Scepsius ut refert Laertius in Zenone, & late Aristoteles *Politic. 2. cap. 1. & 2.* 2.

& Dionyſ.Halicarnaſſ. *Antiqu. Rom. lib.2.* ubi eos, qui ita vivunt, à beluis exemplum capere, eſſeq; hos concubitus protervos & ferinos dicit; & etiam è noſtris JCtis multi, inprimis Card. Alexand. *in c. dilectisſimis col.4. verſ. nota hic allegari 12. qu. 1.* ubi & text. de hac re loquitur & gloſſ. aliiq; ejus loci Interpretes & *text. quoque in c. nuptiarum 27. qu. 1.* jubens filiorum procreationi operam dare, non canino more per uſum promiſcuum fœminarum, *ibiqve gloſſ. in verb. promiſcuum.* Hunc namq; in finem ab ipſo ter Opt. Max. Deo Conjugium inſtitutum & ſancitum eſt, ut unusquisq; ad extingvendum libidinis æſtum, propriam uxorem habeat. Quod tamen prudentiſſimum Dei inſtitutum & ſanctiſſimam ordinationem multi transgrediuntur, torumque conjugalem tum propter turpe lucrum, tum propter alias cauſſas fœde commaculari patiuntur, & ſic voluntarii Cornuti fiunt: De quibus in hoc capite ſermo erit.

Et ſunt hujusmodi Cornutorum quatuor ſpecies. Primo quidem ſunt ii, qui propter puram ſimplicitatem & ex obſequio erga uxores cornua ſibi imponi permittunt. Et hi cornigeri ſunt omnium fœdiſſimi & turpiſſimi, dum præter naturam uxoris imperio ſeſe ſubjiciunt, quod tamen ipſis in uxorem jure optimo & ſanctione divina competit, & prudentes etiam matronæ hoc libenter patiuntur. Unde Plutarchus in libello, quem inſcribit *de claris mulieribus* laudat Megiſtenam Timoleontis uxorem, quæ Ariſtotimo Elienſium Tyranno, præcipienti captivis mulieribus, in quarum numero & ipſa erat, nuncios cum literis ad maritos, qui Elidem obſidebant, mittere, eosque, ut ab obſidione deſiſterent, rogare, alioquin ſe parvos natos in earum conſpectu prius, ipſas deinde omnes verberibus cæſas interfecturum minabatur, talibus verbis reſpondit: Si quid in te virilis prudentiæ aut conſilii reſideret, non utique mulieribus juberes, quæ facto opus eſſent, ſuis viris præſcribere, ſed nos ad ipſos tanquam Dominos noſtros permiſiſſes proficiſci. Et ſicut Sara, Berſabee, Lucretia, Megiſtana, quæ ſe ultrò maritis ſubjecerunt, eos Dominos vocantes, ſunt ob id plurimum laudandæ: ita è contra acerrima vituperatione digniſſimæ ſunt, quæ ſibi laudi ducunt, quod maritis præſint, quod illos non habeant Dominos, ſed ne pares quidem,

quod

quod illos contemnant atque despiciant, nullam omnino earum 4
habentes rationem. Hujus autem dominii uxoris in maritum causa sunt ipsi mariti, dum uxores ducunt ingenti dote & matrimonio refertas, aut alias nobiliores: Ii enim jam non sunt Domini, non superiores, non mariti, non denique pares: sed potius famuli & inferiores, non uxores sed Dominas habentes: quales illi videri fuisse possunt, qui ut scribunt JCti uxores suas Dominas vocabant, *in l.uxorem in princ.ff.de legat.3.* Peto, *inquiebat Bardus ille*, à te Domina mea: & in *l.Titia § qui Marco ff.de ann.legat.* ubi vir qvispiam fracti atque abjecti animi, non Dominam solum uxorem suam vocat, sed & sanctissimam adjicit, ut & Alberic. ibi notat & illum quoque text. ad id expendit Bald. *in l.ult.col.2.vers. quid si testator.C.de indic.* it. *in l.ult.§.uxori ff.de aur.& arg.leg.* Sicut & Claudius Cæsar, qui uxorem Messalinam Dominam vocabat. Et tales simplices morigeri cornigeri, si videant aliquem uxorem suam in occulto amplexantem, præsumunt, quod det ei benedictionem, & si videant, quod deosculetur, præsumunt, quod faciat Zelo charitatis, à qua tamen charitate defende nos Domine, & quando vident eam cum alio secretè loqui, præsumunt ipsos orare Pater noster. Alex. *vol.4.Cons.127.col.3.vers.& propterea.* Nevizan. *in Sylv.nuptial.lib.4.rubr.est nubendum.n.76.* Et ut multa brevibus complectar, est hujusmodi γυναικοκρατούμενος væcors & ad quævis mutus & surdus, nec debet ab uxore quærere, mulier quid facis; imo est uxoris quasi mancipium, omniaque opera domestica quasi Mediastinus curare debet; juxta Germanicos facetos rythmos:

Er muß die Kinder wiegen und warten/
Die Frau spielt des Stichs mit der Karten/
Er muß schäuren und die Windeln waschen/
Die Frau läst die Busen-Aepffel benaschen/
Er muß weit hohlen Bier und Wein/
Die Frau legt sich ins Faulbett nein
Und läst ihr eine Stillmesse singen/
Oder eine Mummen Schantze bringen/
Vexirt noch wol den guten Jecken/
Auff den Bissen wird ein Trunck wol schmecken.

5. Et hujus generis cornuti fuerunt Bactri, Susii & Sauromatæ, apud quos fœminæ viris dominari solebant, uti autor est Tacitus *de morib. German.* subdens, illos in ea re non modo à libertate, sed etiam à servitute degenerare. De Bactris autem testatur Bardesanes *in suo Dialogo, qvem de fato sciscitantibus amicis composuisse se dicit.* & repetit Eusebius *de præparat: Evangel. lib. 6. cap. 8.* ubi & illud præterea dicunt: mulieres apud illos præstanti ornatu & ungventis uti, & ab ancillis & servis multo magis quam eorum maritos cultas singulari quadam pompa eqvitantes exire, auro & lapillis phaleris equorum exornantis, nec eas castè vivere, sed tam servis quàm advenis commisceri, nec à viris accusari, cum iis dominentur. De Susiis quoque refert Divus Clemens *lib. Recognitionum 9. cap. 7.* De Sauromatis Stobæus *Sermon. 42.* ubi eos dicit uxoribus ceu Dominis parere: Quin & in universa Asia à Semiramide institutus mos, ut viris dominarentur uxores *uti tradit Tiraquell. Leg. 7. Connub. n. 67.*

6. Ast tales viri, quibus uxores dominantur, omnibus sunt contemptibiles, pro viribusque & abjectis habentur, ut annotavit Alexander *Cons. 136. col. 3. vers. secundo respondeo lib. 5.* & Petr. a Bella Pertica *in l. curatorem C. de interd. matrim.* miserrimos eos dicit, qui uxoribus obedire coguntur. Sed & ibi Cynus maritos veluti deridet, qui cum ex D. Hieronymi imo D. Pauli ad Ephes. 5. sententia, uxores diligere, non autem timere, ab illis vero diligi & timeri debeant: sunt tamen adeo miseri galinacei, ut non audeant invitis uxoribus sibi extrahere sarabulas, *Angel. in l. 1. C. de his qui pat. vel lib. occid.* Hinc Esaias veluti in maximum Iudæorum vituperium de illis scribit *cap. 3.* Mulieres dominatæ sunt eis. Nam uti Stobæus *serm. 72.* & Petr. *locor. commun. cap. 39.* à muliere dominari summum est vero dedecus; cui consonat & illud Euripidis in Electra:

Καὶ τοι τόδ' αἰσχρὸν προστατεῖν τῶν δομάτων
γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα.

h.e. turpe est uxorem domi præsidere, non virum: imo & summa servitus est. Quandoquidem mulier si primatum habeat, contraria est viro, ut testatur Ecclesiasticus *cap. 25.* item & summa miseria. Nam ut scribit Augustinus *in lib. de Catechum. rudib.* &

reassu-

reassumit Beda *in 1. ad Corinth. 2.* cùm fœmina dominatur in virum, perversa & misera domus est. Refert Justinus *lib. 32.* quod cum Daci cum Oloro Rege adversus Bastarnas male pugnassent, ob ultionem segnitiei, jussu Regis coacti sunt ministeria uxoribus, quæ ipsis antea fieri solebant, facere: neque id ante mutatum fuisse quam ignominiam istam bello acceptam virtute delerent. Plutarchus in *præcept. connubial cap. 5.* Quæ malunt, *inquit*, stolidis viris imperare quam parere sapientibus, similes illis sunt, quæ ducere potius volunt cœcos, quàm intelligentiâ visuque præditos sequi. Tiraqvell. *in Leg. 1. Connub. n. 19.*

Secundo sunt Cornuti Quæstuarii, qui uxores suas turpis 7
lucri & quæstus causa aliis prostituunt: Et dicuntur hujusmodi cornuti in jure nostro Lenones, committuntque hoc modo uxores suas prostituentes, crimen fœdissimum, & est hoc crimen longe sceleratissimum ac multo gravius lenocinio quovis alio, *l. mariti lenocinium §. qui quæstum ff. ad* L. *Jul. de adulter. Belvis in pract. l. 2. cap. 9. in verb.* Lenonem *n. 8. Farinac. pract. crim. part. 5. quæst. 144. n. 52. & 69.* nec inferius est peccato meritorio, quo quis proprio corpore quæstum facit, nec minus est lenocinium facere, quam quæstum corporis exercere, *l. palam §. lenocinium 6. ff. de rit. nupt. l. Athletas §. 1. ff. de his qui not. infam.* nam ut hoc speciale est, & ex unius fœminæ libidinoso amore nascitur: ita Lenocinium generale est, & plures ad suam libidinem explendam quæstus gratia perducit. *Dambouder in pract. crimin. c. 91. n. 2.* Quin & magis delin- 8
quere lenonem, quàm meretricem tradit *Angel. Aretin. in tract. malefic. n. 96.* Petr. Gregor. *Syntagm. jur. univ. l. 36. c. 11. n. 2.* Lud. Pegver. *decis. crimin. 15. n. 1.* Foller. *in pract. crim. in verb. item quod fuit leno n. 1. & 24.* Et competit accusatio de adulterio & stupro non solum adversus eum, qui adulterium & stuprum commisit, sed etiam adversus eum, cujus spe & consilio crimen commissum est: item adversus eum, qui domum adulterio committendo præbuit *Novell. 134. §. si quando l. libellorum §. sed et si ff. de accusat.* Ex quo funda- 9
mento lenocinium simile, imo gravius reputatur adulterio. Adulter enim solum in seipsum, Leno vero in se & alium peccat, u voluit *gloss. in l. athletas §.* P*omponius in verb. eum qui servitute ff. de his*

10 *qui not.infam.* Carpzov. *Pract.Crim.part.2.qu.71.n.4.* Nec tantum is hoc crimen incurrit, qui uxorem suam ipse prostituit, & aliis concedit; sed etiam is qui sciens patitur & permittit sub spe lucri,quod ab adultero,transigendo postea cum ipso,accipit: e. gr. Si maritus fingens se dormire, permittat socios ad uxorem suam accedere, & postea cum adulteris transigat, pecuniam aliudve lucrum accipiens,Menoch. *de A.J.Q.lib.2.cent.6.cas.534.n.26.* modo scientia mariti non possit aliqua ignorantia vel contraria aliqua credulitate obumbrari. Menoch *d.loc.n 28.* Farinac.*Pr.crim. part.5.qu.144.n.82.& seq.* Non minus enim quæstum ex lenocinio facit, qui lucri caussa uxorem adulterari patitur, quàm qui expresse eam ad adulterium prostituit; quin & uxorem prostitui permittens,ipsemet prostituere videtur. Quo pertinet responsum Ulpiani *in l.mariti 29.§.quæstum ff. ad L.Jul.de adulter.* ubi proprie etiam quæstum de adulterio uxoris facere dicitur, qui aliquid accepit,ut uxorem adulterari pateretur.

11 Tertia species Cornutorum est eorum, qui propter propriam impotentiam & inhabilitatem officia maritalia subire non possunt, proptereaque ne plane ipsorum genus & familia intereat, alios in adjutorium vocant, aut uxore hoc postulante permittunt.

12 Et est tale Conjugium plane infelix, cum finis conjugii sit liberorum procreatio,& ad hunc coeundi potentia requiratur, & si illa potentia abfuerit,error circa substantialia existit. Joh.Gerhard. *Tom.VII.Locor.Theolog.de Conjugio n.658.* Consensus namque conjugalis semper ita formatus esse debet,ut præsupponat habile subjectum ad procreandum, conjugiumque sponsione inchoatur,consensu ratificatur & copulâ confirmatur & consummatur, Paul.Cypræus *de Sponsal.c.9.n.42.* Ad conjugalem enim convictum unusquisque contrahentium afferre tenetur,quæ faciunt ad obtinendum finem, cujus gratia societas instituta est, Arnis. *de Jur.connub.c.6.Sect.8.n.26.* Carpzov.*Pract.Crim.part.2.qu.61.n.18.* Unde quando potens cum impotente contraxit scienter, verum matrimonium dici non potest, Struv. *Syntagm. Jur. Civ. Exerc.29. th.20.* nimirum propter caussæ institutionis absentiam pariter ac materiæ inhabilitatem tantam, ut solus consensus nihil possit ac

valeat;

valeat; hinc si cum altera potente se commiscuerit, illi adhærere tenetur, Chrysost. Dornsperg. *tract. de* Excepti *caus. crimin. in punct. adulter. part. 1. sect. 3. cap. 7. n. 140.* Joh. Georg. Simon. *in tract. de Impotent. conjugal. cap. 5. th. 1. n. 4.* Et si mulier nubat marito impotenti, 13
potest agere ad rescindendum matrimonium, legitimamque caussam divortio & conjugi licentiam novarum nuptiarum præbet, Beust. *de Jur. Connub. part. 2. cap. 14.* Harpr. *ad l. sunt & aliæ 11. n. 136. Inst. de nupt.* Sunt enim Conjuges ex divina conjugii institutione una caro, proinde si per impotentiam illud obtineri non possit, conjugium declarabitur irritum: & proprie loquendo tum non fit divortium, sed tantum decernitur conjugium illud statim ab initio fuisse nullum: Propthereaq; non tam ob ipsam mariti impotentiam, quam ob dolum & fraudem tale conjugium annullatur; cum enim scit defectum coeundi maritus & tamen sponsalia contrahendo talem se venditat, qui possit præstare debita conjugalia, certe tunc fraudulenter imponit Sponsæ, ex quo ipso contractus nuptialis dolo initus corruit, cum dolus nemini patrocinari debeat, *l. & eleganter 7. §. 1 ff. de dol. mal.* Unde & Imp. Justinianus *in l. in caussis 10. C. de repud.* rescripsit: *Si maritus uxori ab initio matrimonii usque ad duos annos continuos computandos, coire minime propter naturalem imbecillitatem valeat, potest mulier vel ejus parentes sine periculo dotis amittendæ repudium marito mittere.* Cui consentit Jus Canonicum *in can. decreta. c. 27. q. 2.* his verbis: *De his autem qui caussa frigiditatis uxoribus debitum reddere non possunt statuit Gregorius Papa, ut uterque eorum, septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis jureiurando dicat, quod nunquam per commistionem carnis connjuncti, una caro effecti fuissent, tunc mulier secundas nuptias poterit contrahere, vir autem qui frigidæ natnræ est maneat sine spe conjugii.* Vid. D. Thomam *part. 3. q. 58. art. 1.* Henr. Henriquez. *tom. 1. lib. 12. cap 7 Summ. Theol. moral.*

Et licet inventa sint exempla multorum Conjugum, quo- 14
rum unus ulterius imbecilitatem per tres, quatuor, imo octo vel plures annos æquo animo tulit, sicut refert Valent. Arithm. *peric. Academ. 2. §. 3. th. 8.* tempore Corasii ab Officiali Albaugustano diremptum fuisse matrimonium, in quo Conjuges per octo & decem annos absq; ullo congressu propter mariti impotenti-

tentiam vixerunt. Simili refert Philip. Melanchth. *in Loc. Theolog. in loc. de Conjug. sum. de natur. Spadon. pag. 759.* qui viri doctissimi Simonis Grynæi socerum narrasse dicit, se mortuâ primâ uxore duxisse virginem, quæ undecim annos nupta fuerat viro frigido, nec unquam ulli ante mortem illius hoc patefecerat. Notabile etiam exemplum refert Salmuth *in Responso pro matrimonio Principis cum virgine nobili. p. 71.* de Elisabetha Gonzaga Mantuana, Urbini Ducissa, Das ob wol ihr Herr und Gemahl Guido Ubaldus, Hertzog zu Urbin, entweder von Natur / oder durch Zauberey zu den ehelichen Wercken untůchtig gewesen / Sie es doch also geheim gehalten habe/das es kein Mensch habe erfahren kőnnen/und die Unterthanen/die gerne einen Erben von ihr gehabt håtten/ihr die Schuld der Unfruchtbarkeit gegeben. Und da nach Verflissung zwey gantzer Jahr der junge Hertzog seiner Gemahlin solche seine Unvermőgligkeit offenbahrete/seine und ihre Unglůckseligkeit beklagte/trőstete Jhn diese lőbl. junge Fůrstin / und sagte mit frőlichen Gemůthe / Er solle dieses Unglůck gedultig erleiden / und gedencken / es seyn vor Zeiten viel Kőnige gewesen / und seyn deren noch / die keine Kinder haben/weil offte von frommen Eltern bőse und gottlose Kinder gebohren wůrden. Was sie anbelangete / solte er sich nicht bekůmmern/ihre Liebe soll deswegen gegen Jhm nicht gemindert werden/wie Sie ihre Jungferschafft zu Jhm bracht/ also wőlte sie dieselbe biß auf ihr Ende auch behalten / und keinen Menschen / auch ihrer Amme dieselbe nicht offenbahren: Haben also diese beyden Fůrstliche Personen in Lieb und Einigkeit 14. Jahr dergestalt beysammen gewohnet. Und wåre auch diese Sache nicht offenbahr worden wenn nicht der Hertzog selbst solche dem Kőnig in Franckreich offenbahret håtte/als Er zu ihm umb Hůlffe wider den Cæsarem Borgiam, der ihn aus seinen Fůrstenthumb vertrieben / sich nacher Meyland begeben håtte.
15. Inter mille tamen vix decem reperies, qui patienti animo hoc perferrent, inprimis si sint vegetæ & succiplenæ, vernantes ætate ac robore, quin potius, si non statim maritus cum sacco paratus & ad tale officium accinctus est, clamitant, volo esse mater, volo liberos procreare, & ideo matrimonium contraxi, sed vir quem accepi frigidæ naturæ est, & non potest illa facere propter quæ illum accepi; & si tales mariti plane non sunt sol-

vendo

vendo debita maritalia, alios adjutores accessunt atque invitant, qui agrum suum humectent & prolifico semine fœcundum reddant. Et tali casu peccans uxor ordinariâ adulterii pœna non 16
punitur, quoniam pars valida non tam malitiose & temtere, quam ope conjugali destituta, & remedio ustionis privata, levius quoque delinquit: Ignoscendum enim est ei, qui caussa aliqua commotus & irritatus delinquit, *l. si adulterium 38. §. Imperator. 8. ff. ad L. Jul. de adulter. l. qui cum major. 14. §. si libertus 6. in fin. ff. de bon. libert.* Tiraqvell. *de pœn. mitig. causs. 1. n. 5.* Hippol. de Marsil. *in pract. crim. §. quoniam n. 62.* Carpz. *in pract. crim. part. 2. qu. 58. n. 21. & qu. 61. n. 17. & in Jurispr. Consist. lib. 2. tit. 11. n. 12.* Apud Lacedæmonios ex Ly- 17
curgi instituto licebat Seniori viro, junioris uxoris, si quem ex junioribus honestum ac probum diligeret, probaretque illum ad uxorem adducere, & ubi eam generoso suo semine complevisset, suum quod natum esset, efficere. Simili prope modo Tapyri 18
Parthorum populi, qui Hircanis adjacent, susceptis aliquot liberis, proprias uxores aliis viris, quærendæ sobolis gratia, nuptui concedunt, uti scribit Strabo lib. 11. Sic etiam Solon suis legibus 19
permisit uxori, si ejus vir minus esset ad rem veneream idoneus, mariti propinquos ad concubitum admittere, ut tradit Plutarchus in vita illius: qui hanc legem absurdam & ridiculam videri dicit: quosdam tamen putare, eam se recte habere ad eos, qui cum ipsi nequeant, pecuniarum autem gratia uxores accipiunt, & contra naturam coire nituntur: Intuentes enim illi uxorem, cum qua libitum fuit concumbere, aut missam facient, aut cum dedecore & ignominia retinebunt, cupiditatisque pecuniarum & contumeliæ pœnas dabunt. Illud autem probari, ut non cum omnibus coiret uxor, sed ex mariti necessariis unum aliquem deligeret, ne alienum esset, quod nasceretur, sed generis necessitatem attingeret. Et apud Medos uxores habere viros quamplurimas pulchrum, pauciores quam quinque calamitosum ducere scribunt Strabo *lib. 11.* & Æneas *in Asiæ Descriptione cap. 34.* & ex iis Tiraqvell. *in L. 7. Connub. n. 29.* Sic etiam Charondas, Thuriorum 20
Legislator legem sanxit ut liceret uxori à viro, quotiescunque libitum esset, discedere, alterique viro, cuicunque libuisset, nube-

re. Eaque lex permansit, donec cujuspiam ætate provecti conjux junior, eo relicto, altero juniori viro se conjunxit. Unde & ille Senior ita precibus postulavit legem illam emendari; illudq; adjici: Relicto priori viro, cuicunque collibuisset, *modo hic illo junior non esset*; pariterque si Conjugem vir ejecisset, *nullam deinde ejecta juniorem jungere sibi licere*; Idq; obtinuit, laqueique periculo se exemit. Neq; enim licebat legum emendationem petere, nisi collo laqueo inducto, ut si abrogationem legis confestim non obtineret, illi guttur perfringeretur, Diodor. Sicul. *lib.12. Biblioth.*

21 Apud Litvanos, *ut refert Æn. Silv. in Paral. Alphonsin. l. 4. c. 8.* mulieres unum pluresve concubinos pro viri facultatibus aluerunt; Sicuti in hanc rem memorabile exemplum refert Lansius in Consultat. *in Orac. contra Poloniam* de quodam Duce Oppaviæ, qui uxori adventanti, quam in Litvania duxerat, obviam procedens, cum in comitatu illius adolescentem offenderet forma egregium, robusto corpore, in plumis jacentem, pensili curru advectum, & quæreret, Quis nam esset? (Existimaverat autem Conjugis suæ fratrem aut propinquum aliquem esse) postquam ex responso intellexisset: *Apud Litvanos more patrio, nuptas quæ nobiles quidem essent, unum pluresve concubinos pro viri facultatibus alere consuevisse, qui negligenti vel alia quavis causa impedito marito in oneribus matrimonii ferundis & sustinendis veluti succenturiaretur: illumque succiplenum juvenem propterea adductum fuisse, qui ipsius infrequentiam suppleret.* Dux nebulonem illum vicarium canibus lacerandam objecturus erat, nisi ab amicis antercessum fuisset. Hujusmodi succenturiatores matrimoniique vicarios etiam hic Francofurti citra ullum dubium multi alunt boni mariti, illorumq; genio, ut uxores habeant propitias, benigne litant, lætanturque & sibi gratulantur de tam celebri affinitate.

22 Quarta species Cornutorum voluntariorum est eorum, qui amicitiæ caussa alicui uxores suas recreationis caussa utendas concedunt. Sic Cato Uticensis Amico suo Hortensio uxorem suam Martiam concessit, secundum antiquam Romanorum Consvetudinem, tradente Strabone *lib. 11.* Quod & refert Appianus *lib. 2. Bellor. civil.* Plutarchus in ipso Catone ex Thraseæ autoritate; &

te: & cecinit Lucanus *lec.2. Pharsal.* multis versibus: & meminit Tertullianus in Apologetico *c.39.* & D. Augustin. *in lib. de fid. & oper. & in lib. de bono conjugii c.18. it. l.5. contra Julian. Pelagianum.*

CAPUT IV.

De Cornutis Involuntariis.

SUMMARIA.

Cornuti involuntarii qui? num. 1.
Olim maritus uxorem in adulterio deprehensam impune poterat occidere. 2.
Exemplum Tragicum *de Castelpersia ex Gramondo.* 3.
Simile ex Lipsio. 4.

1 Cornuti involuntarii sunt, quibus uxor ob impudicam lasciviam voraginisq; insatiabilitatem, aliis etiam corpus suum mancipando fidem datam violat, cogendo liberos ex aliis susceptos, maritum agnoscere pro suis, qui tamen ejus non sunt, sed in ejus thalamum suppositi, sicut cuculum ajunt ova sua in corrucæ nidum imponere, à corruca excludenda, & sicut perdices aliena sibi ova supponere perhibentur. Et in hoc casu mulier graviter peccat, si viro suo debita sua maritalia strenue obeunti cornua imponit, & severæ in hoc crimen animadversiones & leges sancitæ semper fuere. 2 Et quidem LL. XII. Tabb. sancitum fuit, ut maritus potestatem haberet, sine judicio sine caussæ cognitione necandi impune uxorem in adulterio deprehensam. Id quod ex Catonis quoque oratione, cujus fragmenta quædam A. Gellius *l.10. c.27.* conservavit, videre est, his verbis: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necare, illa te si adultera, res, digito non auderet contingere, neq; jus est.* Quod ipsum tamen postea per L. Juliam mutatum est, teste Papiniano *in l. nec in ea 22. §. ult. ff. ad L. Jul. de adulter.* nec licet hodie marito uxorem, quantumvis in adulterio deprehensam impune occidere: hoc tamen si fecerit, mitior ipsi pœna irrogatur,

tur, quam alias est ordinaria pœna Legis Corneliæ de Sicariis; idque ideò, quia difficillimum est justum dolorem temperare. Conr. Rittershus. *in Comment. ad LL. XII. Tabb. class. 3. part. 1. cap. 7.* Quin & marito permissum est, talem cucurbitatorem impunè occidere, *l. marito quoque 24. in princ. ff. ad* L. *Jul. de adulter.*

3 Hujusmodi tragica exempla tam adulterorum quam uxorum in adulterio deprehensorum & à maritis interfectorum passim in Historiis consignata reperimus. Et est maximè luctuosum & notabile exemplum, quod refert Gabriel. Bartholom. Gramond. *in Historia Galliæ l. 2. p. m. 139.* quod tam ob ejus horrorem quàm stili elegantiam apponere hic lubet: Ita autem ille; Tragicum est, quod aggredior. Privata domus non procul Montalbano sita, cui Reynesia nomen est, adulterio polluitur, funestatur cædibus, marito uxor injuriam, uxori maritus necem infert: nec cecidisse uxorem satis crudeli viro, una cadunt clandestina cæde Vice Comites duo Panatus & Paulinus, natalibus illustres viri, ille frater adulteræ, & ut creditum, consors libidinis, hic adulter. Deperibat forma & illecebris Venerem Paulinus Vir strenuus, nisi quod mollitie trahebatur in lubricum, unde viris persæpe casus etiam fortibus. Illecebræ amorum, prohibita Venus & furtiva, internuntii frequentes, & codicilli flammæ fomites erant; pretiosa amasio suppellex, ampla familia, immensa largitio, quibus fœminarum libido pretium facit, & qua sæpe via captantur. Fallendo Reynesio induebat figuras omnes Paulinus, Castellumque subibat dissimulatis ore & habitu; quandoque olitoris; quandoque pictoris specie exhibebat se Dominæ. Amabat Panatiam, (id uxori nomen) Conjux parum redamatus, & quanquam probe agnitum sperni se amore adulteri dissimulabat, donec certè constaret violatam conjugii fidem. Parum tuta est statio amantibus in Castello procul hominum frequentia sito, accedunt arcani participes servi, venales animæ in utramque partem; Paulinus & Panatia, queis ab omnibus metus esse debuerat, in omnibus fiduciam ponunt. Quam cœca libido est, vesanus amor! Iteratur clam furtiva Venus, nec furtiva diu, contemptus viri, in id væcordiæ prolabitur uxor, ut nocte interdiu-

que

que Castello palam exciperetur adulter. Ludibrium se esse amantibus; indignatur Reynesius, diuque dissimulat prudentia aut metu. Meditatur justum & crudele facinus, urget ira & provocat cunctantem animum, obstat amor, nam & adhuc uxorem deperibat: illa ibat audentior in viri contemptum, in amasii amplexus, non Dei, non hominum, non sui memor; eoque tandem ventum, ut prorumperet in justum furorem patientia viri: spretum se queritur, & quærit ultionis viam; hanc fortuna aperit in hunc modum. Erat in Reynesii familia servus Paulino clam conductitius, puduit esse Domino diutius proditorem; quidam dixere, ultionem servi in Dominum ex privata injuria: *Primum advolvi genibus, obtestari, deprecari, quam meruerat pœnam: fateri se adulterii conscium, ne patientia tantum sed & facto accusare silentium, urgere vindictam, uulgo veneficam esse, quæ adultera est; prospiceret honori, vitæ consuleret; committeretur sibi ultionis modus, ruituras in venabula feras, aut periturum se; si perierit, meruisse pœnam; si ultus reparaverit quoquo modo injuriam, forte veniam meriturum, non alias posse dilui crimen, quo hero reus est.* Ad hæc Reynesius specie rei novæ obstupescere, & qua data per servum via, sequi, fingit in longinqua iter, absceditq; haut ignarus adfore statim Paulinum. Abeunti illacrymatur uxor, qui mos adulteris: Postridie dat se Paulino in castellum comitem Panatiæ frater, Vice-Comes Panatius: devolat infestis latebris Reynesius, ferroq; ad manum per obscura noctis suggreditur: stipat delecta manus alta utrinq; silentia. Non multò ante ipsum secum revolvens, quam arduum opus aggrederetur, Camerarum ostiis subduxerat pessulos introrsus omnes, ne fortè ex improviso adveniens, aut penitus prohiberetur aditu, clausis januis, aut dilatione tardaretur. In mora metus erat, fiducia ferire incautos. Panatius acri vir ingenio, natura in omne nefas expeditus, quanquam alias suspiciosus homo, credit se incautus aulæ apertæ, stuporeque velut lethargico spernit ex amotis introrsus pessulis triste præsagium, decumbit improvide altoque se committit somno. A Paulino initium cædis, à quo gravior Reynesio metus erat: Intromittitur ex improviso Sicariorum armata manus: ubi agnita Paulino proditio, sclopeto ap-

prehenſo in percuſſores prorumpit, Reyneſiumque in pectus ferit vano ictu, quippe thorace aheneo tegebatur; ſtatim ſicariorum globo involvitur, & quanquam ſtrenuè dimicat, ſuccumbit numero, multipliciq; in vulnere vitam ponit. Panatius ubi ſclopos audierat ter quaterq; diſploſos, implacido horrore diſcuſſus, accurrere quo monſtrabat viam excitus fragor, vixque ab oſtio aulæ ſuæ eruperat, deſcenſu per ſcalam præcipiti ſubducturus ſe periculo, quod imminebat, cum Reyneſius ſiſtere jubet aut mori: adhæc ille verbis fruſtra obluctatus haſtili transfoditur. Exin diu quæſita fœmina, donec ſervi indicio patuere latebræ, queis ſubduxerat ſe ultori viro: triſte ſpectaculum! jacet tenui ſub carbaſo nuda, paſſis confuſe crinibus, ſuffuſum rubore tenerum ebur, corallio æmula majeſtas oris, porrecta placide frons, ſinus in gemellum orbem apertus, & ut trahebantur imo corde ſuſpiria, molliter palpitans: iterati marito amplexus, infans neſcia mali, pro matre patrem deprecata: denique viri in uxorem nuper væſanus amor, flamma intermortua commiſeratione reviviſcens vitam impetraverant; obſtitit ſervus, vile mancipium, cauſſa lanienæ, negat dividi poſſe facinus; non alias marito permiſſam cæde adulterii ultionem, niſi in utrumque una ſit pœna, ſuperſtite uxore pro illegitimo haberi, quod ſimul cum adultero transfoſſa jure permittitur. Sic crudeliter cæſa fœmina illuſtris, cui nemo ætatis ſuæ illecebris, muliebri forma & cultu, nemo ingenio anteceſſerat. Jacuere per triduum inſepulta cadavera, ſanie polluta, ſquallore & tabo, ut locum cuiq; dederat caſus. Reyneſius, [quanquam crudeli ex facto] regio diplomate liberatur, Memoratu haut indignum eſt, in ſcrinio Paulini poſt funera, inventam à Commiſſariis in litem delegatis ſchedam ultro citroq; obligatoriam, qua fidem mutuo dabant futuro amantes matrimonio vivo etiamnum Reyneſio, in hæc eadem verba: *Nos Rapiſtagnus Vice-Comes Paulini, & Caſtelperſia de Panato, fidem mutuo aſtringimus, matrimonio palam contrahendo, ubi primum occaſio dabitur; & quo plenior ſit fides, quo item obligatio firmior, conſummationem antecedere placet ex pacto. Caſtelperſia, Rapiſtagnus. Kalendis Januariis anni 1616*, Hæc Gramondus.

Simi-

Simile ferè exemplum refert Just. Lipsius *l. 4. Epist. 12.* Rem atrocem, *inquit*, & tragœdia dignum? Nobilis ille juvenis, quem olim familiariter novimus, in Italiæ Neapolin venit. Non diu ibi vixerat: cum amavit ipse, dicam, an ultro adamatus est à Nobili matrona; Nosti Italiam, nosti sexum. Certè accitum ab illa ferunt incautum juvenem. Venit, paruit, commeavit furtum, res mariti egit, & quæ non opus est dicere. Non fefellit illa consvetudo quendam è servis, Domino indicat. Dominus condita ira parat ultionem. Servare intentè eundem hominem jubet, dum Mars esset cum Venere sua: non diu factum est. Nunciatur marito adesse: domum redit, irrumpit cubiculum comite illo servo. Infelicem adolescentulum è lecto protrahit nudum, ac jam vix vivum in oculis Conjugis multis ictibus confecit. Adjicitur deinde succedanea victima uxor ipsa. Cadavera nuda & lacerata noctu in viam projiciunt, ipsi priusquam luceret, se in pedes.

CAPUT V.

De Caussis Cornigerium caussantibus.

SUMMARIA.

Herba Dutroa Cornigerium causat. n. 1.
Impotentia cornigerium caussat. 2.
Senes non apti palæstræ Venereæ. 3.
Siccitas & frigiditas coitui maxime adversantur. 4.
Cupido omnium Deorum maxime juvenis. 5.
Senectâ libidines restingvuntur. 6.
Vidua dicitur, quæ maritum senem habet, aut alias inutilem. 7.
Romani uxores mense Majo non duxerunt, sed Junio. 8.
Senes sunt loquaculi. 9.
Ubi facto opus est, verba non sufficiunt. 10.
Senectus non omnino arcet à Venere. 11.
Lex Papia Poppeja *prohibebat sexagenarium uxorem ducere.* 12.
Natura sumus cupidi similis nostri gignendi. 13.

Refert

CAPUT V.

REfert Henricus Salmuth in notis ad Gvid. Pancirollum *rer. memorabil. l. 2. tit. 1. p. m. 129.* nasci in India herbam maritos cornutos efficientem, cui nomen est Dutroa; ex cujus floribus bulbi quædam species oritur, papaveris bulbo haud absimilis, in quo nuclei, quales Melones habent, continentur. Isti si orizæ, vino, aquæ, aut alterius generis cibo potionive admixti bibuntur, cerebrum invadunt, ac stultitiam quandam risu continuo absque alio sensu, aut ulla rerum notitia excitant, conciliato, etiamnum somno, qui in 24. horarum spatio duraret, nisi pedes aqua frigida abluerentur. Inde herbæ hujus usus Lusitanorum ac Indorum mulieribus frequens est, quam maritis ignaris propinant, ut secure adultero copiam nefandœ libidinis faciant. Ita marito præsente & apertis spectante oculis, verum fatuo risu in mentis abalienationem conjecto, communi proverbio horrenda illa cornua instruunt, quibus Conjugem prostituto geniali thoro infamant. Nec is è somno excitatus cujusquam reminiscitur, verum sopore levi correptum se fuisse existimat. Etsi autem Dutroæ usus ob illam vim severissime est prohibitus, fit tamen ut ipsimet etiam, edictis qui cavent, ab uxoribus decepti, eandem inscii bibant plurimum: sæpe quippe muliebri in herba illa indaganda quam maxime occupato, saltem animo ut obsecundent suo. Adeo omnium ibi fœminarum mens in struendis venereis insidiis & continuandis amoribus versatur, nullo metu, nullisq; reverentiæ legibus coercita! ut mirandum minime sit apud Lusitanos & Indos tantum reperiri cornutorum numerum. 1.

Potissimæ vero causæ ob quas mulier ad pravaricationem lecti conjugalis dissolutionemque fidei conjugalis marito præstitæ, consvetudinemque cum alio impellitur, sunt hæ:

I. Impotentia, quæ est coeundi defectus in viro cum sua uxore, ita ut officia maritalia illi exsolvere non valeat, & ita hoc casu uxor remedio, quo ustionibus carnalibus resistere alias possit, privata ad eas extingvendas convenientia pharmaca ab aliis viris expetere necesse habeat: *de qua supra in cap. præcedenti.* 2.

II. Est Senectus: Senes enim & provectæ ætatis viri si matrimonium ineant cum puellis junioribus, quibus calent viscera & vegetus succus abeundat, nil nisi contemptum, ludibrium, fasti- 3.

 dum

dum & cornua ſperare debent: Hæ enim cum nihil magis cupiant, earum tenera atque ebulliente & fervida ætate hoc ipſum inprimis deſiderante, quàm matrimoniali operi frequenter incumbere, ſuo ſe voto fraudari, repugnante è diverſo nimium ætate virorum, impatienter ferunt. Senes enim non ſunt apti palaſtræ Venereæ, parumque diligenter fundum uxorium colere poſſunt cum ſenectus frigida ſit & ſicca, ut ſcripſit Ariſtoteles *in eo libro, quem de longitudine & brevitate vitæ conſcripſit. & lib. 5. de generat. animal. c. 4. it. Hippocr. in Aphoriſm. l. 1. c. 14. & Galen. l. 5. de ſanit. tuend. & alibi quoque pasſim.*

4 Sunt autem ſiccitas & frigitas res maxime contraria & voluntati & potentiæ coeundi, quam calido & humido conſtare certum eſt, ſicut omnes rerum naturalium ſcriptores aſſerunt. Et ut ſcribunt Galen. *l. 6. de ſanitat.* & Paul. Ægineta *l. 1. c. 15.* Veneri natura calida & humida idonea eſt. Propterea Juvenalis *Satyr. 10*, loquens de ſenectutis incommodis, ſic canit

Coitus jam longa oblivio; vel ſi
Coneris, jacet exiguus cum ramice nervus;
Et quamvis tota palpetur nocte jacebit.

Ex quo eſt illud Martialis *l. 11. Epigram. 82.*

Cum ſene communem vexat Spado Dindymus Æglen:
Et jacet in medio ſicca puella toro.
Viribus hic operi non eſt, hic utilis annis,
Ergo ſine effectu prurit uterque labor.
Supplex illa rogat pro ſe miſeriſque duobus;
Hunc juvenem facias hunc Cytherea virum.

Hinc etiam monet Cœpolla *in l. præcipimus n. 7. ff. de Ædilit. edict.* ne ſeniores & provectæ ætatis viri matrimonium capeſſant, præſertim cum puellis juvenculis. Facete Nevizan. *in ſilv. nupt. l. 2. n. 6.* Senectus tam apta eſt nuptiis, quam bruma meſſibus. Et ab ipſa etiam natura Senes obſtipo & in terram defixo capite incedentes, docentur, ut magis de tumulo quam de thalamo ſoliciti eſſe debeant, cum finem conjugii non aſſequantur, ſcilicet prolis generationem. Vis autem propagandæ ſobolis anno ætatis 66. deſinit ex ſententia Hippocratis & Plinii, tunc flacceſcit robur virile, ſegneſcunt ſpiritus, areſcunt humores. Vulgata opinio eſt,

quod

quod ut Sexagenarius generandi, ſic quinquagenaria impotens ſit concipiendi. Ariſtoteles finem gignendi viris annum ſeptuageſimum, fœminis autem quinquageſimum ſtatuit *l.7.Polit. c.16.* Alibi tamen, *de natur. animal.* à ſeptuageſimo anno tranſit ad ſexageſimum quintum. De anno ſexageſimo ludit Plautus *in Mercat. act.2.ſcen.4.v.57. & ſeqq.*

Annos natus ſexaginta qui ait, ſi quem ſcibimus,
Seu maritum ſive hercle adeo cœlibem ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus.

Reperiuntur tamen exempla quod genuerint ſenes qui annos ſeptuaginta tranſcenderunt, qualia citat Alberic. Gentil. *lib.5. de nupt.c.3.* ſed addit; Vereor ut hæc credere poſſimus, vereor mentitas ætates aut incognitas, vereor partus & ſuppoſitos & adulterinos. Nam cum omnibus infideles ſint fœminæ, ſenibus quidem infideliſſimæ ſunt: propterea Fulg. dicebat ſeni amico ſuo, Si cupis juvenculam, faciet tibi cornua, *ut refert Nevizan. in Silv. nupt. l.2.n.6.* Pulchre Ovidius *lib.1. Eleg.*

Quæ bello eſt habilis, Veneri quoque convenit ætas,
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.
Quos petiere duces annos in milite forti,
Hos petit in ſocio bella puella viro.

Agatho in Platonis Sympoſio, recenſet Cupidinem Deo- 5
rum omnium maxime juvenem eſſe, ejusque rei argumentum
affert, quod ſenectutem fugit, eamq; natura odit, juvenibus au-
tem ſe miſceat, cum ſit vetus proverbium: ſimile ſimili ſemper
hærere. Scribit idem Plato *de Repub. lib.1. circa init.* quod ſene- 6
ctute libidines reſtringvantur, & in ea ætate pax eſt libertas à
rebus venereis. Hinc etiam mulier adoleſcentula & nupta & vi- 7
dua dicitur quæ ſeni nupta eſt; nam licet ea vere nupta ſit, ta-
men cenſetur, eſſe vidua cum maritum habeat ſenem, ideoque
inutilem, ex ſententia Accurſii *in l ult.C.de Leg.Fav. de plagiar.* Id
quod Bald. ibi trahit ad privilegia conceſſa viduis, ut videlicet
hujusmodi mulieribus competant, quæ habent maritos inutiles,
quod multum notandum eſſe dicit Jaſon *in repetit. l.ſi is qui pro
empt. col.53.v.adde quod ff. de uſuc.* Illam autem gloſſam dicit valde
ſingularem Alexander in addit. Bartol. *in l. elegant.§.qui reprob.ff.*

de pignor, act. Barb. Conf. 46. col. 1. l. 1. & in tract. de praestant. Cardinal. part. 1. quaest. 12. col. 1. ubi & hoc dicit procedere in statutis loquentibus de viduis: quod & idem dicit Felinus *in c. significantibus col. 3. de offic. & potest. judic. de legat.* Hucq; spectat quod apud Ovidium Dejanira se viduam esse profitetur, quoniam nullas ex marito Hercule oblectationes referebat, cum fere semper longius abesset:

Vir mihi semper abest & Conjuge notior hospes,
  Monstraque terribiles persequiturque feras.
Ipsa domo vidua votis operosa pudicis
  Torqueor, infesto ne vir ab hoste cadat.

8. Quærit Plutarchus *in Problemat. c. 85*, cur Mense Majo Romani uxores non ducant: cujus rei hanc inter cæteras rationem affert. quod Majus à majoribus natu appellatus est, Junius à junioribus, nuptiis vero accomodatior est junior, proinde abstinent nuptiis, Junium expectantes qui Majum deinceps protinus excipit. Propterea etiam Ciceroni exprobatum fuit, quod Sexagenarius Publiam Virginem uxorem duxisset, quod excusare valens Tyro libertus illius, idcirco id factum fuisse tradidit, ut æs alienum, quo maxime obruebatur dissolvere posset, erat enim Publia opulentissima; cujus etiam meminit Plutarchus in vita illius. Sic & Pompejus ob id reprehensus fuit, quod jam in ætatem vergens duxisset Corneliam Metelli Scipionis filiam, & juvenem, & multis amoris gratiis dotatam, filioque ipsius magis copulandam, ut etiam Plutarchus refert in vita illius.

9. Sed hic poterit nobis Senex quispiam loquaculus, (uti sunt ferme omnes loquaces, sicut Cicero scribit in Catone Majore; *Senectus est natura loquatior*) obstare & dicere, Quod opere non potero perficere, verbis quidem, rerumque & historiarum antiquarum narrationibus compensabo, quibus animum & aures uxoris demulcebo, à coitusq; cogitatione avocabo. Cui tamen illud respondetur; Non admodum placere mulieribus illud Homericum de senibus *lib. 3. Iliad.*

γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ ἐσθλοί.

Jam ob senium bello desveti, at dicere tantum Egregii.
Quoniam, ut est apud ipsum Homerum, dicit Patroclus

ἐυγὰρ

ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ
τῶ οὔτι χρὴ μῦθον ὀφέλλειν, ἀλλὰ μάχεσθαι.

Molimentum prælii in manibus eſt, conſilii in verbis
Ea propter non loquacitate nunc opus eſt, ſe pugnacitate.

Ex quo & illud Virgilianum *lib. 10. Æneid.*

\- - - Sed non & Trojus Heros
Dicta parat contra jaculum, nam torquet in hoſtem.

Et ubi facto opus verba non ſufficiunt, *l. Julianus 12. §. offerri* 10
ff. de act. empt. l. peculium 4. §. ult. ff. de pecul. Anchoran. Conſ. 248. num. 2. Carpz. lib. 1. Reſp. 31. n. 17. cui convenit textus elegans *in l. 1. §. tuliſſe ff de SC. Syllan.* ubi dicitur: Non tamen qui clamore uſus eſt, auxilium tuliſſe videtur. Quid enim ſi cum poſſet manu depellere à Domino periculum, ille clamorem inanem elegit, *gl. in cap. paſtoralis in gl. ult. de offic. ordin. Alex. in l. ſi mora col. 2. ff. ſolut. matrim. Hippol. de Marſil. in l. qui falſa col. 8. verſ. ult. ff. de falſ. ubi plura* Et nova nupta juvencula non aures ſed aliam rem impleri cupit; nam ut dicunt Germani, Worte füllen die Tasche nicht / es muß gethan seyn.

Sic Plautus in Epidico *act. 2. ſcen. 2. v. 14.*

\- - - Quid te igitur retulit
Beneficium eſſe oratione, ſi ad rem auxilium emortuum eſt 11

Sed etſi forte fortuna contingat, ut vir ſenior cum uxore juvencula congrediatur, neque enim hoc impoſſibile eſt, cum nemo ſit adeo ſenex, quin aliquando calere poſſit vel natura vel arte, *uti dicit gl. in c. nuptiarum in verb. in quibusdam 27. qu. 1.* & ſenes interdum aliquo beneficio moventur ad coitum, *uti dicit gl. in c. 2. x. de frigid. & malef.* ſicuti recenſet Plinius *l. 22. c. 22.* Scandicem herbam marceſcentes ſenio coitus excitare; & in quibusdam etiam Pharmacopœis hujusmodi Morſchellæ confortativæ pro ſenibus conficiuntur, quibus & valde illi utuntur. Attamen aut ſunt ſeminis expertes, aut ſi quod habent, eſt ſterile & non prolificum ſeu gignitivum, propter inutilis excrementi permiſtionem, quia eorum natura non ſatis poteſt concoquere, *uti tradit Ariſt. lib. 1. de generat. animal. c. 18. & Galen. l. 2. de ſanit. tuend. in princip.* in hunc ferme ſenſum ſcribens: Labor, cibus, potus, ſomnus, omni ætati communis; Venus vero tantum ætate florentium eſt: quæ autem

tem hanc vel præcedunt ætates vel ſequuntur; aut plane ſemen non effundunt, aut certò infœcundum, aut male fœcundum emittunt. Hinc ſenectus effœta, i.e. gignendi vi & poteſtate deſtituta & exhauſta à Virgilio dicitur:

Sed mihi tarda gelu ſeclique effecta ſenectus.

12 Propterea etiam Lege Papia Poppeja cautum eſt, ne Sexagenarii uxorem ducerent, tanquam ad generandum minimè idonei. Sicuti & alibi ſancitum eſt, ne minor ſit 66. annis qui arrogat, quoniam magis liberorum procreationi ſtudere debent, *l. ſi paterfamilias §. ult. ff. de adopt.* tanquam poſt hujusmodi ætatem hujus rei vacationem natura ipſa dederit.

13 Si itaque tales Senes uxores juvenculas ducunt, easq; non impregnant, quod ſæpiſſime uſuvenire ſolet, hoc certe uxores moleſtiſſime ferunt. Nam cum ſemper alias nihil æque dictitet natura, quàm illud, quale ipſum eſt, producere; vel Ariſtotelis teſtimonio *lib. 1. Oeconom. c. 1. & l. 2. de anim.* Nititur ſummis viribus inſita poteſtas, ut ſe ad effigiem quandam & imaginem immortalitatis & divinitatis componat: ut quoniam corruptioni obnoxium idem numero animal, nequit perſeverare, ortu vicario, mortalitati, qui fieri poteſt ratione adminiculatur, ac velut
14 tibicinis præfultam, ab occaſu vindicet. Eſt enim, *ut ſcribit Plato in Timæo in fin. & ex eo refert Galenus lib. 6. locor. affector. c. 5.* vulva matrixq; in fœminis animal avidum generandi, & quando procul à fœtu per ætatis florem, aut ultra diutius detinetur, ægre fert moram, ac multum indignatur, pasſimque per corpus oberrans, meatus ſpiritus intercludit, reſpirare non ſinit, extremis vexat anguſtiis, morbis deniq; omnibus premit, quousque Cupido a-
15 morque quaſi ex arboribus fœtum fructumve producat. Unde & Leges noſtræ dicunt; Naturam ad hoc mulieres genuiſſe, ut partus ederent maximamque eis eſſe ejus rei cupiditatem & aviditatem, *l. ambiguitates C. de indict. viduit. toll.* Et maximum & præcipuum munus earum eſt concipere ac tueri conceptum, *l. quæritur §. 1. ff. de ædilit. edict.* pudorque eſt fœminas nuptiarum præmia non habere. *c. pudor. 37. q. 2.* Hinc & Rahel ad Jacobum *Gen. 30. v. 1.* Fac mihi liberos, alioquin morior.

16 Et licet quoque in Hiſtoriarum monumentis reperiantur exem-

exempla eorum,qui etiam in ſumma ætate liberos ſuſceperint,ſicuti Camerar.*horar.ſubciſiv.cent.2.c.98.* ex Levino Lemnio hiſtoriam recenſet de quodam nauclero Stockholmiæ, qui anno ætatis ſuæ centeſimo nuptias contraxit cum virgine triginta annorum,& ex illa liberos ſuſcepit. Sic etiam Maſiniſſam Numidiæ Regem poſt annos octoginta ſex,filium Mathymanum genuiſſe refert Valer.Max. *l.8.c.14.* Similiterque Catonem Cenſorinum jam exacto anno octogeſimo filium è Solonis filia, avum Catonis Uticenſis procreaſſe tradit Plinius *Nat.Hiſt.l.7.c.14.* & Solinus *in Polybiſtore c.4.* Attamen hæc exempla tanquam miracula resq; memorabiles ſcriptis conſignata ſunt. Quæ enim raro eveniunt, miraculi inſtar habentur, *§.quantumcunque in Authent. de Conſulib.* ſicuti etiam pro miraculo habetur, ſi mulier quinquagenaria liberos genuerit, *l.ſi major.C.de leg.hered.*

Sed quicquid ſit,gignendique potentia valeant ſenes; aliæ 17 tamen adhuc ſubſunt cauſſæ propter quas in amorem juvenculæ uxoris non veniant: Sunt namque intractabiles, moroſi, difficilisque admodum converſationis, quæ ad amorem conciliandum plurimum valet, Et ex conſvetudine Veneris incentiva & æſtus efferveſcunt,ut dicit Lucretius,*Conſvetudo conciliat amorem*: cui concordat text.*in cap.veniens,X.de eo qui cognovit conſangv. ux.ſuæ.* ubi dicit: Deinde ex converſatione diuturna ſorori puellæ carnaliter ſe conjunxit. Propterea Apulejus *l.6.* Conſvetudinem Veneri miniſtram facit. Sic moroſos, difficiles, quærulosve ſenes eſſe,fatetur etiam Ariſtoteles *l.8.Ethic.c.9.* ita ſcribens: In ſenibus tanto minus fit amicitia,quanto difficiliores ſunt,& minus congregationibus gaudent. Et Terentius *in Hecyra*, ait: Odioſa eſt hæc ætas adoleſcentulis. Quæ ſenectutis incommoda pulchre deſcribit Juvenalis *Satyr.10.* ſequentibus verſiculis:

Sed quam continuis & quantis longa ſenectus
Plena malis,deformem & tetrum ante omnia vultum,
Diſſimilemque ſui, deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas & tales aſpice rugas,
Quales umbriferos ubi pandit Tabraca ſaltus.
Plurima ſunt juvenum diſcrimina,pulchrior ille
Hoc,atque ille alio,multum hic robuſtior illo.

Una

Una senum facies, cum voce trementia membra.
Et jam leve caput madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi.
Usque adeo gravis uxori natisque sibique,
Ut captatori moveat fastidia Cosso.

18 Unde etiam apud antiquos scriptores senium pro tædio, molestia & odio plerumque ponitur, ut apud Turpilium in Demiurgo: *Quia enim odio & senio mihi nuptiæ*: & apud Plautum in Sticho:

Hæ res vitæ me saturant, mihi dividiæ & senio sunt.

Et in Truculento:

Male quod mulier incepit, nisi efficere perpetiat;
Id illi morbo, id illi senio est.

19 Atque propter hanc senectutis molestiam effectum est, quod licet alias non valeat donatio inter virum & uxorem, *ff. & C. de don. int. vir. & ux.* valeat tamen si donet senex maritus uxori juveni, veluti magis compensans remuneransq; uxoris ex sua senectute jacturam & incommoda, quam gratias tribuens, uti notatur per Dd. in *l. si voluntate C. de dot. promiss. & in l. si divortio ff. de R. O.* Roman. *Cons. 445. vol. 3.* Gvid. Pap. *Cons. 117.* Tiraquell. *in leg. 6. Connub. num. 27.*

20 Et dicit Bartolus in *l. Mutiana col. ult. in pr. ff. de cond. & demonstr.* uxores juvenes cupere mortem senum maritorum sole-

21 re. Et hinc quoque sæpius uxorem adulteria exurgunt, tum, quia cum mariti senes sint admodum in Venerem segnes, uxores ipsæ aliorum concubitum haut renuant, imo vero sponte, nec rogatæ, petulanter rogant, quo suam, quantum possunt maxime, libidinem expleant: tum quia maritos senes minime diligant, ex iis quæ jam dictæ sunt rationibus,

22 III. Nuptiæ nimis immaturæ: Scribit enim Aristoteles *lib. 7. Histor. anim. cap. 1.* eas quæ admodum puellæ concumbnnt, libidinosiores per totam ætatem evadere; quod & tradit Galens, *ad fin. lib. 6. de loc. affect.* Idemque etiam testatur ipse Aristoteles *lib. 7. Politic. cap. 16.* dum dicit: ad continentiam utila esse, nuptias fieri seriores, intemperantiores enim esse videntur, quando ut puellæ Veneri adsvescunt, Tiraqv. *in leg. 9. connub. n. 19.*

IV. Sæ-

IV. Sævitia mariti in uxorem. Poteſt quidem maritus uxorem ex juſta cauſa moderate caſtigare, ut voluit *gloſſ. in l. & ſi quemcunque §. ult. in fin. ff. ad L. Aquil. & gl. in Authent. ut liceat matri vel aviæ §. quia vero quadam mulieres in verb. ſufficere.* atrociter autem illam verberare non licet, & ſi hoc fecerit maritus, poteſt uxor agere injuriarum contra ipſum ex quorundam ſententia, quos refert Joh. And. *in addit. Specul. in rubr. de injur. verſ. eſt quæſtio de uxore.* qui tamen ſubdit ſibi probabilius videri, ut agat uxor actione in factum, ut fama mariti illæſa præſervetur, *per text. in l. 2. C. rer. amotar. & in l. non debet ff. de dol. & l. ſi quis uxori ff. de furt.* Quia 23
24 etſi vir uxorem atrocius verberaverit, ob idque uxor aufugiat, & adulterium committat, non poterit eam maritus accuſare, nec dotem ex uxoris adulterio lucrari ex forma ſtatuti. Petr. Anchoran. *Conſ. 408.* Tiraqvell. *in Leg. 1. Connub. n. 24.* Imo Impp. Theo- 25
doſius & Valentinianus ſanxerunt, uxorem, quæ ſe probaverit à viro verberibus affectam, quæ ingenuis aliena ſunt, poſſe virum repudiare *in l. conſenſu C. de repud.* Et quamvis hæc Theodoſii & Valentiniani Conſtitutio à Juſtiniano fuerit correcta in eo, quod permitteret uxori hujusmodi verberibus affectæ virum repudiare. eam tamen injuriam non relinquit impunitam. Voluit enim virum, qui eo modo uxorē verberaverit, ex alia ſua ſubſtantia, conſtante matrimonio tantum uxori dare, quantum tertia pars faciat largitatis ante nuptias. *Authent. ſed novo jure C. de repud.* Tiraqv. *in l 8. Connub. num. 13.* Non itaque verberibus uxori relu- 26
ctandum eſt, ſed quod dicit Ovidius obſequiis, cum ex virorum verberibus amor conjugalis in odium exitiale vertatur, ex quibus tam immanis atque acerbus uxorem in viros animus naſcitur, ut plerumque mortem eorum expetant, uti notat *gloſſ. in l. pater Severinam §. Socrus ff. de condit. & demonſtr.* Bald. *in l. ult. col. 1. C. de inſtit. & ſubſtitut.* ubi dicit: *quod mariti hæreditas non ſemper ſit uxori luctuoſa*; & ſi improba ſit & furioſa uxor, verberibus nihil efficies, & non meliorem ſed multo deteriorem reddes: Denn ſchläget man bey ſolchen Beſtien einen Teuffel heraus / ſo ſchläget man hingegen zehen wieder herein. Verendumque eſt, ne uxores 27
verbera hæc ulciſcentes, de maritis ſumant vindictam & ſe alienis viris ſubſternant, Machen ihn davor zum Poſſen zum Hahnrey;

quemadmodum rei Venereæ Scriptores callide admonent, ut id tempus alienas uxores interpellandi captetur, quo erunt viris subiratæ.

28 Resultant itaque ex verberibus uxorem inimicitiæ & adulteria, atque etiam cædes, insidiæ, maleficia & veneficia in maritos patrantur. Nam cum fœminæ sint alias suapte natura ad maleficium veneficiumque viris procliviores, tum vero maxime adulteræ. Sunt enim adultarium & veneficium proxima, & quasi inter se cognata, ut mulier, quæ impudica est, sit etiam venefica. Sicuti Seneca *lib. 4. controvers.* hanc inter cæteras conjecturam ponit, ut cum ex duobus criminibus alterum probamus, ut id alterius fiat probatio: e. g. cum dicimus adulteram esse, ut credatur etiam propter hoc venefica. Sic item Marcus Cato, ut refert Fabius *lib. 5. de exemplis* dicebat, nullam adulteram, non eandem esse veneficam; sicut etiam Ausonius:

Toxica Zelotypo dedit uxor Mœcha marito.

Huc pertinet etiam illud Quintiliani, *Declamat. 14.* Veneficium, Judices, tota vita meretricis est. Quemadmodum etiam leges nostræ mulieres adulteras & veneficas conjungunt, veluti quadam affinitate conjunctas, ut *l. consensu §. vir quoque, ibi nisi adulteram vel veneficam C. de repud. & in §. mitiores in Authent. de nupt.* Quæ omnia eo tendunt, ne quis uxorem aut verberet, aut alias male tractet, si vel suæ vitæ ac saluti, nedum honestati consulere & cornua vitare velit.

29 V. Caussa est longa & diutina maritorum absentia, scribit enim Aristoteles oblivionem amicitiæ ex diuturniore absentia induci. Sic enim *lib. 8. Ethic. ad Nicom. cap. 5.* tradit: *ἐὰν δὲ χρόνιος, ἡ ἀπουσία γένηται καὶ τῆς φιλίας δοκεῖ ἡ ἀπουσία λήθην ποιεῖν, ὅθεν εἴρηται, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν*: i. e. quod si diuturna fuerit absentia, videtur & amicitiæ oblivionem afferre: Unde dictum est illud: Multas amicitias silentium diremit. Sic Propert. *lib. 3. Eleg. 11.*

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Unde Ovid. *lib. 2. de art. amandi* illud monet:

Sit mora tuta brevis, lentescunt tempore curæ,
Vanescitque absens, & novus intrat amor.

Quod

Quod confestim exemplo probat:

Dum Menelaus abest, Helene, ne sola jaceret,
Hospitis est tepido nocte recepta sinu.

Sicuti Herodotus *lib. 4. in princ.* refert historiam de Scythis, qui cum bello Cimmerios prosecuti fuissent, eoque bello octo & viginti annos peregre abfuissent, eorum interim uxores servis sese commiscuerunt, ex quorum concubitu progeniti liberi Scythas revertentes abigere conati sunt.

Hinc etiam ut scribit Lysander Historicus, Penelopen per 30
Ulyssis absentiam procis omnibus sui corporis copiam fecisse, quorum promiscuo concubitu natus sit Pan, cui & inde mansit nomen. Nam πᾶν Græcis totum sive omne significat. Idemque 31
propemodum scribit Lycophron Poeta Græcus in Alexandro, ubi eam appellabat βασσάραν, κασωρεύουσαν, i. e. πορνεύουσαν, seu scortantem: Versus Lycophronis sunt hi;

ὄψεται δὲ πᾶν·
μέλαθρον ἄρδειν ἐκ βάθρων ἀνάστατον
μύκλοις γυναικόκλωψιν. ἡ δὲ βασσάρα
σεμνῶς κασωρεύουσα καλλανεῖ δόμοις.
θοίναισιν ὄλβον ἐκχέουσα τλήμονος.

Addit autem Lycophron, Ulyssem cum id post suum reditum rescivisset, statim abiisse in Insulam Gortinam, ibique obiisse. Interpres autem ipsius ex autoritate Theopompi scribit, Ulyssen offensum domestica turpitudine rediisse ad Circen, & à Telemacho filio fuisse necatum; cui prope consentit Pausanias *c. 8.* his verbis: Ajunt Ulyssem à Troja reversum ob procos admissos, cum Penelope divortium fecisse, ipsumque statim se Lacedæmona recepisse, deinde Mantineam migrasse ibique vitam finivisse. Tiraqvell. *in Leg. 9. connub. n. 95.* ubi plura de Penelope ejusque aliàs laudata castitate.

Hinc etiam Uxor, quæ marito diutius absente alium admi- 32
sit, de jure mitius punitur, quia non tam ex luxuria, quam libidine ingenita, cui ustionis remedio destituta, resistere nequit, delinquere videtur, adeoq; criminis sui qualem qualem excusationem habet. Sufficit autem leviuscula etiam caussa ad purgationem doli & pœnæ mitigationem, *l. 12. §. 3. ff. de liberal. causs. l. 47. §. 7.*

ff de furt.l.1. §.4.ff.si quis jus dic.non obtemp. Jul. Clar. *lib. 5. sent. §. fin. quæst.60.n.21.* Farinac. *in prax.crim.lib.1,tit.2. qu.16. n.64.* cum maritus etiam diu absens, præterlapso quinquennio de jure civili præsumatur esse mortuus, adeo ut mulier ad secunda vota transire possit. *l.uxores ff.de divort.* Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 1073. n.4.* Carpz. *in Prax.Crim.part.2.qu 58. n.39.*

33 VI. Caussa est: Denudatio uxorum in conspectu aliorum virorum; Nuditas siquidem mulierum viros, si quicquam aliud, ad libidinem miris modis accendit & irritat, ut rejectis contemptisque naturæ jurisque legibus, nulla generis affinitatisque ratione habita ad infandam inconcessamque undequaque Venerem aliquando impulerit, si fides habenda est illi, quod cum Ju-
34 lia Antonini Caracallæ Imperatoris noverca, mulier forma eleganti & egregia, se maxima corporis parte coram Antonino ipso, quasi per negligentiam nudasset, eaque nuda conspecta dixisset Antoninus libidine exæstuans, Vellem si liceret: respondisse fertur: *Si libet, licet;* An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Quo audito Antoninus ad obeundum scelus audacior factus, novercam uxorem duxit. Sed quid memoro Antoninum, hominem ejus ætatis lubricæ cereumque in vitia flecti libidinis-
35 que natura impatientis. Quin potius producam Regem, eundemque Prophetam, Davidem, hominem per omnia integerrimum & virum secundum cor Dei? Nonne cum Betsebeam nudam sese lavantem forte fortuna conspexisset, in eam tam deperdite exarsit, ut adulterium cum ea primum, deinde & homicidium in ejus virum perpetrarit? De hoc casu loquens Augustinus *in lib. de honest. mulier.* David. *inquit*, ille sanctissimus, mille passionibus pressus, vidit mulierem nudam, & adamavit eam, & statim
36 homicidium simul fecit & adulterium. Refert Plutarchus in amatoriis narrationibus historiam Aristocleæ, puellæ formosissimæ, quæ Jovi sacrificium factura, nuda est à Strabone visa, qui in eam, magno utriusque malo exarsit: Nam cùm item illa à Callisthene amaretur, nuptiarum die amantium manibus est discerpta. Strato autem in omnium conspectu supra ipsam virginem
37 ferro se jugulavit. Unde veneri & libidini dediti, nuditate mulierum

lierum mire delectantur, nec illis satis nuda mulier videri potest: sicut ille lascivus Poeta *lib. 11. Epigramm.* canit:

At mihi nuda satis nulla puella patet.

Et Propert. *lib. 2. Eleg 16.* suas voluptates narrat:

Ipse Paris nuda fertur potiisse Lacæna,
Cum Menelæo surgeret è thalamo.
Nudus & Endymius Phœbi cœpisse sororem
Dicitur, & nudæ concubuisse Deæ.

Et alibi, *lib. 4.*

Cantabant surdo, nudabant pectora cæco,
Lanuvii ad portas, heu mihi, solus eram.

Quibus postremis versibus significat Poeta, se inter subblandientes mulierculas ita jacuisse, ut Venere coire nunquam valuerit, quamvis illæ quidem cantillarent, quamvis ad prolectandam concubitus appetentiam & libidinis pruritum, pectora papillasque denudarent, quamvis & ipse ascenderet, atque etiam mucronem ac testiculos (qui & ab eruditis Lanuvii quoque dicuntur) fœmineis genitalibus admoveret, quæ Poeta festive portas appellat, nihilominus potuisse nihil, & jacuisse perinde ac solum. Tiraqvell. *in leg. 4. Connub. n. 12.*

Quantum vero fœminarum nudatio pudicorum probo- 38
rumque virorum animos exasperet, aperte docet illud Ezechielis 16. *Ubera tua intumuerunt, & pilus tuus germinavit, nuda eras & confusione plena.* Et Esa 20. *Nudum & discalceatam, discoopertis natibus, ad ignomiam Ægypti.* Et D. Hieronymus scribens ad Demetriadem de virginitate servanda: illa, ait, tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter socias, quæ se nescit esse pulchram, quæ negligit formæ bonum, & procedens ad publicum, non pectus, non colla denudat, non pallio revoluto cervices aperit: sed quæ celat faciem & vix uno oculo, qui viæ est necessarius, patente ingreditur.
Hinc laudantur Chalcedoniæ mulieres, quæ si in alienos viros & 39
Magistratus potissimum inciderent, dimidium faciei retegerent: quæ à viduis coorta consvetudo, in eas etiam prorepsit, quæ & maritos haberent, quod refert Plutarchus *in Problem. cap. 162.* Qui mos vehementer placuit Angelo Aretino, qui in §. 1. *col. 1. Inst. de*

patr. poteſt. ſcribit, mulieres debere incedere facie ſemiaperta, quod temporibus, ait, noſtris non obſervant mulieres.

Perſarum legibus ſancitum reperimus apud Joſephum *l. 11.*
40 *Antiquit. c. 9.* ne mulieres extraneis viris ſe conſpiciendas præberent. Apud Spartanos autem diu obſervatum fuit, ut aperta fa-
41 cie virgo, nupta vero convelata in publico conſpiceretur, cujus rei rationem reddit Charilas, quoniam Virginibus viros ſibi quærere neceſſarium ſit, mulieribus autem, quos compararint, cuſtodire, autor Plutarch. *in Apophthegm. Lacon.* Sic etiam refert Ter-
42 tullianus *in lib. de veland. virgin.* Arabiæ fœminas non caput tantum, ſed faciem quoque ita totam tegere, ut uno oculo liberæ
43 contentæ ſint, dimidiam, *ut ipſe loquitur*, frui lucem. Sic Cornelius Tacitus de Poppea loquens *lib. 13.* Rarus, *inquit*, in publicum egreſſus, idque velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum, vel quia ſic
44 decebat. Nam apud Romanos C. Sulpitius Gallus uxorem dimiſit, quod eam capite aperto, foris verſatam cognoverat. Lex enim, *inquit*, tibi meos tantum præfinivit oculos, quibus formam tuam approbes & placere deſideres: His decoris inſtrumenta compara, his eſto ſpecioſa, horum te certiori crede notitiæ, ulterior tui conſpectus ſupervacua irritatione accerſitus, in ſuſpi-
45 cione & crimine hæreat neceſſe eſt. Val. Max. *l. 6. c. 3.* Divus item Hieronymus in libello *de ſuſpecto contubernio.* Palliolum, *inquit*, interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quaſi videri noluerit, celat feſtina, quod volens detexerat. Idem ad Lætam *de inſtitutione filiæ* ita de nuditate Virginum loquitur, ut nec ipſæ ſe nudas conſpicere debeant. Mihi, *inquit*, omnino in adulta virgine lavacra diſplicent, quæ ſeipſam debet erubeſcere, & nudam videre non poſſe.

46 Decet enim hoc fœmininum genus tegere ea, quæ natura abſcondit, ne iſta denudatio alios in libidinem & prævaricationem tori conjugalis trahat. Et ad hoc ipſi mariti debent eſſe cuſtodes ſeduli uxorum ſuarum pudicitiæ, nec iſtas coram aliis viris ſe denudari permittere, illosque œſtro libidinis inflammare, cùm juxta Maſſilienſium Epiſcopum eloquentiſſimum & ſanctiſſimum Salvianum, *de Gubernatione Dei lib. 7.* Mariti ſint conſervatores & cuſtodes demiſtici uxorum pudicitiæ & caſtitatis,

quæ

quæ ſe ipſas ſervare neſciunt. Non enim ſoli Atridæ uxores amans, ut ex Homero dicebat quaſi proverbio Sext. Cæcilius: quod & JCtus Ulpianus probat *in l. ſi uxor. 13. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adulter.*

ἦ μοῦνοι φιλέουσ᾽ ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων.

ex quo & illud Virgilii:

- - - Nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor.

violatæ ſcilicet fidei conjugalis. *Rittershuſ. ad de Salviani locum p m 336.*

Mulier enim exuta tunica pariter & verecundiam exuit; u- 47
ti dicit Herodotus *lib. 1.* ἅμα δὲ χιτῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται καὶ τὴν αἰδῶ γυνή. Cui concordat Cyprianus *in lib. habit. virgin.* Simul inquit, cum amictu veſtis, honor corporis & pudor ponitur. Ideò nec ipſe *in eod. lib.* jus facit virginibus, ne in balneis quidem ſe nudandi. Unde Græci ſcriptores, & in his Theodoritus *in lib. de virtute action.* laudant Lyſidicen, quæ pro inſigna, quadam pudicitiâ, ne tunc quidem cum lavaretur, ſubuculam exueret. Philæteram autem, cum in labrum balneare deſcenderet, quantum corporis aqua immergeretur, tantum ab inferiore parte ſenſim detegeret, ſubucula paulatim ad ſuperiora ſubducta: cumque aquis lota emergeret, eadem ratione ſuperiora corporis amictu
obtegeret. Quin & Heſiodus in reverentiam Deorum, ne nocte 48
quidem intimas tunicas ponere vult, quia noctes etiam Deorum immortalium ſunt; ſic enim ille *lib. 2. ἔργ. κὶ ἡμερ.*

μηδ᾽ ἀπογυμνωθεὶς μακάρων τοι νύκτες ἔασιν.

Et è JCtis Baldus *in l. interpoſitas col. 2. v. quandoque quis vult reſcin-* 49
dere C. de transact. ſcribit, metum verecundiæ ſatis eſſe ad reſcindendum contractum, licet non contineat metum motis, vel corporis cruciatus: ut ſi quis, *inquit*, denudat mulierem, mineturque eam ſe extra domum nudam deducturum.

Quocirca inſignis ſtultus & cornutus fuit ille Lydorum 50
Rex Candaules, qui uxorem ſuam, quam propter formæ pulchritudinem deperibat, prædicare omnibus ſolebat, non contentus voluptatum ſuarum tacita conſcientia, niſi etiam matrimonii reticenda publicaret, prorſus quaſi ſilentium damnum pul-

chritu-

christudinis esset: ad postremum ut affirmationi suæ fidem faceret, nudam sodali suo Gygi ostendit. Quo facto & amicum in adulterium uxoris solicitatum hostem sibi fecit, & uxorem veluti tradito alii amore, à se alienavit, *ut refer Justinus Histor. lib.* 1.

CAPUT VI.

De Remediis præservativis contra prævaricationem tori Conjugalis.

SUMMARIA.

Arbuscula ex Phasi flumine virtus. num. 1.
Cauda lacertæ virtus. 2.
Testiculorum lupi virtus. 3.
Surculi per ranæ viscera transfixi remedium. 4.
Selenni aqua ab amore liberans. 5.
Fontis Salmacis virtus. 6.
Venus verticordia. 7.
Parentum mores in liberos derivantur. 8.
Parentes Rei accusati inspiciendi. 9
Liberi non semper imitantur mores Parentum. 10.
Filiæ matrum mores imitantur. 11.
Uxorem parentibus bonis ortam ducas. 12.
Uxoris futuræ mores inprimis spectandi. 13.
M. Catonis uxor. 14.
Vitæ honestas moresq́; pudici maximum decus uxoris. 15.
Pudicitia uxoris maximum remedium contra cornua. 16.
Ex moribus cognoscitur mens. 17.
Uxor æqualis ducenda. 18.
Fœminæ sua natura dominationis cupidæ. 19.
Forma superbiam parit. 20.
Mulieres formosæ vix castæ. 21.
Non tam graviter peccat, qui cum formosa congreditur, quam qui cum deformi. 22.
Adulterium præsumitur ex deprehensione viri in domo mulieris formosæ. 23.

Forma

Quemadmodum cuiq; morbo certa quædam medicina, singulariaque pharmaca medentur, si recte applicentur: Ita etiam utilia quædam Antidota inventa sunt, quibus aliquo modo detestabilé cornu vitari, illiq; tanto malo obviari possit. Et referunt nonnulli autores quædam re-
1 media medicinalia, quibus huic affectui medeatur. Sic tradit Aristoteles, in Phasi flumine arbusculam esse, cujus ramus exceptus à viro, & in uxoris thalamum immissus, efficiat, ne uxor alium
2 virum appetat. Marcellus *in lib. de medicamentis cap. 33.* Mulierem, *inquit*, quam tu habueris, ut nunquam alius inire possit, hoc facias: Lacertæ viridis vivæ sinistra manu caudam curtabis, eamq; vivam dimittes: caudamque donec immoriatur, eadem palma clau-

clausam tenebis, & mulierem verendaq; ejus, dum cum eà cois, tangas.

Albertus Magnus *lib. de animal. 22.* scribit, quod si quis testi- 3
culũ dextrum lupi, oleo mistum, mulieris vulvæ cum lana imponat, removet ab ea coeundi desiderium, etiamsi fornicaria fuerit.

Sic refert Alexander ab Alex. *Genial. dier. lib. 4. cap. 1. circa fin.* 4
Magos nulla lege, sed novo commento adulteria vindicare, ut surculus per ranæ viscera ad os transfixus, in menstruis uxoris defigatur à marito. Tunc enim uxorem fastidire adulteria, & illorum tædio affici.

Referunt etiam rerum antiquarum scriptores, fuisse in A- 5
chaja civitatem, Ægiram nomine, ac fontem quoq;, & in propinquo fluvium Selennum, ab Adolescente dictum, qui Ægiræ Nymphæ illaqueatus amore ac desiderio extabescens, sit à Venere in eum deformatus. Unde Selenni aqvam id laudis adeptam ferunt, ut ea ablutos amore liberet, & viros & fœminas.

Sicuti rursus alius fons est Salmacis nomine in Caria, qui è 6
diverso eos, qui ex eo biberint, venereo morbo implicare traditur, *uti videre est ex Pompejo Festo & refert* Tiraquell. *in Leg. 15. Connub. num. 98.*

Sic refert idem Tiraquellus *loc. cit. n. 99.* quod cum aliquan- 7
do incredibilis ardor libidinis fœminas Romanas invasisset, adeo ut ferè omnes sine ullo pudore in Venerem ruerent; Senatus inspectis libris Sibyllinis per Quindecimviros censuit, ut Veneris verticordiæ simulacrum consecraretur, ut fœminarum corda à libidine ad pudicitiam reverterentur, quod postquam factum est, omnium sedatus est ardor.

Sed demus, hæc jam adducta medicamenta aliquid præstitisse, & jam temporis etiam aliqua reperiri ad hanc rem conducentia & præservantia, hæc tamen certè earum virium ac roboris non sunt, ut depravatam naturam pessimisque moribus innutritam corrigere, & in melius mutare valeant, cum quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non convalescat. Itaque potius remedia moralia & politica quærenda, quibus huic malo occurrere quis possit. Et horum erit.

8 I. *Uxorem bonis parentibus & natione non infamata tibi eligito.*
Etsi enim sua cuique mens est, divino creata arbitrio, pleræq; ta-
men sunt animi vires, quæ simul cum corpore à parentibus
transfunduntur in liberos. Sic enim natura comparatum est, *ut
Ficini verbis utar*, ut corpus & anima proportione quadam har-
monica congruant, motusque corporis in animam, sicuti & ani-
mæ in corpus, facillime & vehementissime penetrent. Sic procli-
vitatis illius corporis anima ob cognationem quandam affe-
ctumque erga corpus proprium, particeps quodammodo reddi-
tur, præsertim secundum vim ejus inferiorem, qua corpori pro-
pinquat, multumque consentit. Deinde vis superior animæ na-
turali quodam amore, inferiori sæpe obsequitur ferme, sicut illa
corpori. Motus qui in anima actio est, fit in corpore passio; qui
in corpore passio est, fit in animo sensus atque compassio. Adhæc
filii ipsi parentum præceptis imbuti, ad eorum consvetudinem
moresque deducuntur. Nam cum omnia adolescentes, quæ o-
culis excipiunt, simiarum instar imitentur, fit sane, ut quæcunq;
à parentibus maximè, quorum præstantior est & assiduior con-
versatio, fieri viderint, ad ungvem etiam facere nituntur, & sese
asvefaciunt, asvefactique demum perpetuo ita, ut primo imbuti
9 fuerint, quasi secretiore quadam vi agente, perseverant. Hinc
eleganter Albert. Gand. *in tract. malefic. tit. de præsumpt. & indic.
dubitatis col. 4. vers. præsumptio enim est natura,* monet, ut parentum
ejus, qui accusatur, mores conspiciantur, proinde etiam sciamus,
quibus sit ipse accusatus moribus. Nam qui bonos habuit pa-
rentes, bonus, qui malos, malus præsumitur. Et pulchre dicit
Angel. *in l. fugitivi C. de serv. fugit.* quod ex eo quis præsumitur
transivisse ad hostes, quod natus est ex progenie eo nomine in-
famata, *& sequitur Barbat. Cons. 34. col. 18. v. modo sacratiss. lib. 1.*

10 Quamvis etiam sint nonnulli, quorum patres improbissimi
& sceleratissimi, filii tamen probi, & è contra patres probi, filii im-
probissimi evaserunt, sicut refert Virgil. *lib. 7. Æneid.*

Contemptor Divum Mezentius.

& tamen is habuit filium Lausum talem, qualem paulo post de-
scribit:

- - *Dignus qui lætior esset*
Imperiis,& cui pater haut Mezentius esset.

Sed tamen ita rarum est ut alba cornix,& pauci virtutibus parentum respondent, plures autem illis pejores,pauci meliores sunt.

Et est vetustissimum & decantatissimum, filias plerumque 11
mores matrum repræsentare solere. Non enim vero simile est, ut filia statim ab ineunte ætate matris moribus imbuta,honestatem in grandiore ætate sectetur,ad quam tantum abfuit,ut mater cohortaretur, ut etiam ab ea magis & exemplo dehortaretur & verbis. Id quod intellexit Juvenalis, scribens *Satyrib.*

Scilicet exspectas,ut mater tradat honestos,
Aut alios mores,quam quos habet. - -

& mox sequitur:

- - - - *utile porro*
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Item. *Satyr.14.in princ.*

Exspectas,ut non sit adultera Largæ
Filia,quæ nunquam mater nos dicere mœchos
Tam cito,nec tanto poterit contexere cursu,
Ut non terdecies respiret? - - -

& paulo post subdit:

Sic natura jubet: velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cum subeant animos autoribus.

It. D. Ambrosius *lib. 3. de virginibus*, loquens de Herodiade: *Quid potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?* Quod etiam testatur Sanctissimus Propheta Ezechiel *cap. 19.* Sicut *ait*, mater,ita filia ejus. Et in hanc sententiam *gloss.in ç. si quis cum militibus 6.qu.1.* adducit versum vulgarem;

Insequitur leviter filia matris iter.

Pari modo Columella *lib.3.de R.R.* Nihil, *inquit*, dubium, quin ipsa natura sobolem matri similem esse voluerit.

Propterea Libanius ad Solonicum scribens: *Uxorem*,inquit, 12
cognitam ducas,cujus parentes,& matrem præcipue bonis moribus præstantem noveris. Jure igitur Horatius *l.3.Carm.Od.24.v.21.* Scythas eo nomine laudat, quod ibi

Dos est magna, parentum
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere Castitas.

Adeo ut non sine caussa Moses suis legibus statuisse videatur, ducendas esse uxores virgines ingenuas, ex honestis parentibus prognatas, ut retulit Josephus *lib.4. Antiqu. Judaic. c.8.* Et hæc de parentibus.

13 II. *Uxoris futuræ mores diligenter prius inspicito.* Hoc etiam monet. Joan. Faber *in rubr. Instit. de nupt.* scribens, ut si possis, probes ante omnia mores ejus mulieris, qua cum velis matrimonium contrahere. Sic etiam Antipater *in lib. de convict. uxoris apud Stobæum, serm.67.* ex Græco his verbis: *Uxor non temere ambienda est, sed omnino circumspecte, non divitiarum, non turgidæ nobilitatis, non voluptatis ullius, non denique formæ gratia. Nam hæc quoque ut plurimum fastum & dominandi libidinem excitare solent.* Primum itaque de moribus & ingenio Parentum percontabuntur, an civilis sit Pater, nemini molestus, non ingratus, modestus, justus, & qui rebus variis non oblectetur, & alia hujusmodi. Deinde matrem quoque considerabimus, in cujus convictu educata est nuptura, & moribus ejus imbuta: Postea de Sponsa, an illam ut par est, instituerint, neque officio suo defuerint, & amori in ipsam nimis indulgendo, utilitatem ejus neglexerint, omni studio inquirendum est per servos, domesticos, atque etiam externos: nec non per vicinos & filios, qui ad eos ingrediuntur ut amici ad convivia, & opifices & mulieres netrices atque lotrices, & alios. Hujus
14 rei memorabile exemplum habemus in M. Catone Consulari jam grandævo Virginem ducente. Is enim Salonii Clientis filiam sæpe conspicatus, ejus indole & moribus mirifice delectabatur; ex more Salonius Scriba Catonem aliquando in forum deducebat. Inter eundum Cato, *filiæ tuæ*, inquit. *Saloni maritum inveni, cujus nisi grandior ætas molesta sit, omnino scio tibi probatum iri.* Post eos sermones, qui talibus in rebus primo congressu haberi solent, Cato se illum senem esse profitetur, & ipsius filiam, quantum in se est, uxorem accepturum pollicetur. Ea re Salonius admiratur filiæ suæ virtutem apud Catonem tantum pondus habuisse

isse ut humillimo loco natam in eam familiam ducturus fuisset, quæ Consularibus & Triumphalibus imaginibus esset honestissima. Quid multis, filiam respondet. Id Marcus Cato filius, quo nemo Vir melior, si patri credimus, natus est, nemo pietate præstantior, graviter tulit, veniam deprecatur si quid in patrem admisisset, cujus caussa novercam sibi induceret. Eo collaudato mores illius virginis, majorem in modum sibi placuisse respondit, *Me ut tibi filii charissime, novercam inducerem: sed ut multos tui similes liberos mihi susciperem, & optimos* Reipub. *cives relinquerem, factum putes.* refert Franciscus Barbarus *in tract. de re uxoria lib. 1. c. 2. p. m. 29.*

Et certe magnum momentum positum est in vitæ honestate moribusq; pudicis futura uxoris, prudentiaq; in ea tanti faciendo à Sponso, ut si fortunæ ipsius patiantur, vel uxoria pecunia negligatur, vel utro tenuitati ei conferat, ut domesticam laudem & pacem comparet. Hæc ipsa res certe majorem ipsi gloriam afferet, quam si unionibus & auro conjux probitatis expers, ornatissima sit. Hæc enim nobilitati etiam præferuntur, *l. pronunciatum §. autem ff. d. V. S.* Nam quod Seneca *Epist. 2.* de amicis eligendis monet his verbis: *Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quam tecum:* illud ad electionem uxoris commode trahimus, cum qua perfectissima nobis intercedere debet amicitia. Quod si amicus eligendus non est, nisi qui cum modium salis absumpseris, multo magis in ducenda uxore idem observandum; quia amicum, cujus te facietas capit, cum gratia ejurare licet, uxorem non licet. Eo consilio Clisthenes Sycioniorum tyrannus, cum filiam Agaristam elocare vellet, convocatos ex variis gentibus procos, annum apud se detinuit, singulorumque mores probe exploravit: Et jam statuerat Hippoclidem eligere generum, cum ille indecentiore saltatione speratas desaltat nuptias, *Herodot. in Erato lib. 6. pag. 367.* 15

Inprimis vero eligatur uxor quæ pudicitia & verecundia 16
ornata est; quæ præstantissimum remedium contra cornua erunt, Harum enim virtutum præsidiis puerilis ætatis insignia

munita

munita ſunt; harum reſpectu ſincerus juventæ flos permanet, his cuſtodibus matronalis ſtola cenſetur, *Valer. Maxim. lib. 6. cap. 1.* Et propria fœminæ virtus pudicitia eſt & pudor: Pudor eſt metus reprehenſionis: Pudicitia eſt conſtans abſtinentia à Venere prohibita. Scaliger *lib. 3. Poetic. cap. 14.*

17 Sed obſtabit hic quiſpiam dicens, unde hæc cognoſcere potero, non in fronte ipſarum mores exarati, ut eligere eas poſſim? Certe conjectura mentis partim ex inceſſu, partim ex ſermone, partim etiam ex convictu dignoſci poterit; Si ſermo fuerit paulo liberior & ad incentivum libidinis excitatior, ſi riſus immoderatior & effuſus, ſi oculorum obtutus laſcivior: nam impudicus oculus impudici cordis nuncius eſt, *c. nec ſolo 3. 2. q. 5.* ſi inceſſus arrogantior; ſi deniq; eos cum quibus vivere ſolet, contempleris. Veteres eam credebant optimam, de qua minus foris haberetur ſermo. Ideoq; Venerem pingebant inſidentem cochleæ, ut mulieres à diſcurſationibus abſtinere diſcerent. *Facile enim emtorem reperit mens proba, tametſi in abſtruſo ſita eſt. Plaut. Pœnul. act. 1. ſcen. 2.*

18 III. *Uxorem Tibi æqualem ſumito.* Ut enim quisque voluerit habere uxorem ſui amantiorem ſibique obſequentiorem, cui leges quas velit, imponat, præſcribat, jubeat, vetet, quod videbitur, quæ nihil imperanti negabit, nihil recuſare audebit, ſumat ſibi æqualem, aut etiam inferiorem & genere & opibus. Non tamen
19 hoc ſemper ita uſuvenit, ſed potius multæ etiam ſunt, quæ tametſi ſint maritis ipſis in omnibus longe inferiores, ſive ad nobilitatem reſpicias ſive divitias ſive ad formam, nihilque in illis excellat, quo ſuperbire vel tantillum debeant, ſint alias probis moribus; conantur tamen, (ut ſunt mulieres ſuapte natura ſuperbæ & dominationis cupidæ) imperium ſibi in viros uſurpare, eosq; in ſuam ipſarum poteſtatem injicere, omnes Juris Divini, Naturalis & Civilis leges & ordinem invertentes. In Juris Civili textus eſt, *in Authent. de Nupt §. jucundum.* ancillam à Domino in uxorem captam, interdum adeo efferri & ſuperbe in maritum agere, ut vel ab eo divertat, quem ad hoc annotat Lucas de Pena *in l. quemadmodum 201. præſumpt. C. de agricol & Cenſit.* Ad quod referri pot-

ri potest antiquum proverbium Palladæ, *lib.1. Græcor. Epigramm. memoratum.*

μήποτε δουλεύουσα γυνὴ δέσποινα γένοιτο.

quo significatur, ancillam in uxorem non esse ducendam, quasi & hæ plerumque soleant esse erga maritos insolentiores.

IV. *Uxorem nimium formosam non ducas.* Mulieres e- 20
nim cum suapte natura sint superbi, tumentisque atque elati animi: tum vero maxime earum adauget genuinam alioquin superbiam forma speciesque corporis: nam ut tradit Menander

ὑπερήφανον πρᾶγμ᾽ ἐστιν ὡραῖα γυνή.

Superba res est pulchra mulier.

Cui consentit Ovidius *lib.1. Fastor.*

Fastus inest pulchris, sequiturque superbia formam.

& alibi, *lib.2. Elegiar.*

Dat facies animos: facie violenta Corinna;
Me miserum, cur est tam bene nota sibi?
Scilicet à speculi sumuntur imagine fastus:
Nec nisi compositam se prius illa videt.

Quisquis itaque uxorem duxerit nimis formosam, eam & superbam & indomitam & refractariam perpetuo & indesinenter experietur, vixque & non nisi cum acerrimo certamine jus suum adversus eam obtinere poterit, ut quæ propter formam, quam semper majorem esse credit, putabit se Regis matrimonio fuisse dignam, maritumque parvi faciet.

Periculosum etiam est formosas in castimonio vivere posse: 21
forma etenim cum pudicitia dissidio quodam discordioso & pertinaci dissidet, & lis inter utramque prope perpetua est, uti canit Ovidius:

Lis est cum forma magna pudicitiæ.

Et lib.3. Amor. Eleg.4.

Quid tibi formosa, si non nisi casta placebat?
Non possunt ullis ista coire modis.

Et Pamphilus Terentianus in Andria de Chryside loquens:

Hujus, ait, formam atque ætatem vides,

Nec clam te est, quam illi utraque res inutiles
Et ad pudicitiam & tutandam rem fient.

Libanius ad Leontinum, ut refert Tiraqvell. *in Leg. 2. Connub. n. 6.* Gratulor, *inquit*, tibi, quod eam uxorem duxeris, quæ licet sit forma præstantissima, tamen, quod raro accidit, superat formæ præstantiam pudicitia. Ideoque Ovid. lib. 2. Fastor.

Fœdera servasset, si non formosa fuisset.

Et lib 3. Amor. Eleg. 14 in princ.

Non ego, ne pecces, cum sis formosa, recuso:
Sed ne sit misero scire necesse mihi.

22 Unde & gloss. *in c. ult. 14. qu. 1.* tradit, non tam graviter peccare, qui cum formosa muliere congreditur, quam qui cum deformi, cum plura sint, pulchritudo scil. & libido, quæ persvadent cum pulchra commisceri, quam cum deformi. Amor enim, qui formam sequitur, omnibus imperat, & amore captus amoris servus est, & delinquenti ex amoris vehementia & impetu, pœna mitigari solet, Menoch. *de A. J. Quæst. cas. 328.* Tiraqvell. *de pœn. tempor. cap. 4.* Hinc etiam Virgo, quæ amanti ex amoris ardore & impetu copiam sui fecit, non est meretrix, neque à vicinis ut aliæ meretrices, expelli potest *arg. l palam. 43. §. palam. 1. ff. de rit. nupt.* Farinac. *part. 4. de delict. carn. qu. 136. n. 87.*

23 Propterea Baldus *in l. 2. in princ. ff. de furt.* Si quis, *inquit*, deprehenditur in domo, in qua sit pulchra mulier, hoc certe facit manifestum adulterium. De pulchra enim muliere loquitur, non simpliciter de muliere, veluti ea pulchritudinis qualitas multum momenti habeat ad præsumendam utrinq; libidinem.

24 Ratio hujus rei manifesta est, tum quod natura ipsa formosis propriam quandam & veluti domesticam & peculiarem libidinem ingenuisse videatur, ut quo quæq; formosior est, eo sit in Venerem vel sua sponte proclivior: tum quod nihil magis homines ad cupidinis amplexus provocat, accendit, incitat, quam forma corporis, decor oris, species & pulchritudo. Nam pulchrum ipsum amicum est, ut in proverbio dicitur, & amor est omnium pulcherrimus, atq; inter eum & deformitatem pugna est perpetua, & inter flores amor ipse habitat, quoniam in eo, quod flori-

floribus caret aut defloruit, sive corpus sive animus, sive quodvis aliud sit, amor ipse non insidet, ut apud Platonem in Symposio testatur Agatho. Et non inscite Horatius *lib. 4. carm. Od.* 12. *in fin.* pulchritudinem facem appellat, quoniam ad amorem accendat, sitque amoris atque libidinis voluptificum svavissimumque incitamentum, illectamentum, irretimentum, ut vocat Valer. Maxim. *lib. 4. rer. memorabil. tit. de verecundia.*

Et licet quædam etiam pudicissimæ sint formosæ, attamen 25
forma tam vehementer viros sollicitat, allicit, stimulat: ipsi quidem, ut voti compotes fiant, totis accinguntur viribus: preces, fraudulentias, munera, blanditias, obsequia, svadelas, omnia denique amatoria, veneficia, quibus videlicet conciliatur amor, fœminarumque præcordia diffinduntur, & obseratæ fores pudicitiæ repanduntur, tam pertinaciter, studiose, vigilanter adhibent, ut è cunctis formosarum millibus, unam vix reperies, cujus pudicitia non exuperetur. Nam ut apud D. Hieronymum contra Jovinianum *lib. 2.* differit Theophrastus: Aliquo modo, vel aliquando expugnatur, quod undique incessitur: non facile custoditur, quod plures amant, & in quo totius populi vota suspirant.

Sed quid si etiam formosa uxor sit adeo pudica, ut nullis cu- 26
juscunque corruptelis ipsius castitas expugnari possit: est tamen illa nonnunquam etiam periculosa, tam ipsis viris, uti Abrahamo, cum in Ægyptum veniret, *Gen. 12* item ad Regem Abimelech *Gen. 26.* quam etiam ipsis uxoribus, quemadmodum in Historiis legimus de Lucretia & virginea, & notabile etiam exemplum de adulterio, singulari astu & fraude commisso recen-
set Josephus *Antiquit. suar. l. 18. c.* 7. de Paulina Tiberio regnante, 27
scribit, Romæ Paulina quædam generis splendore & morum integritate præstans, opibus item abundans, ac vultu venusto & ætate integra, nupta erat Saturnino, viro nullo honorum genere ipsa inferiori. Hujus amore captus Decius Mundus, inter Equites dignitate præstans, mulieris pudicitiam muneribus sollicitabat, ducenta millia drachmarum Atticarum pro uno concubitu pollicens, eaq; recusante amore magis inflammabatur, adeo ut abstinentia ciborum necem sibi consciscere instituerat. Ha-

bebat autem paternam libertam, nomine Iden, omnis generis malorum peritam. Ea adolescentem sic affectum verbis confirmat, & pollicitationibus refocillat, ac sibi duntaxat quinquagesies mille drachmis opus esse dicit ad rem conficiendam: quibus acceptis, cum illam pecunia non expugnari posse cerneret, sed cultui Isidis, (ea tum à Romanis pro Diva colebatur) esse deditissimam: quosdam falsæ illius Deæ Sacerdotes convenit, pecuniam offert, ut Paulinam, quibus possint, dolis circumventam Mundo sui copiam facere cogant. Illi pecunia deliniti facinus aggrediuntur. Eorum natu maximus Paulinam seorsim convenit, se ab Anubide, ipsius amore capto missum esse profitetur, ut eam accurseret. Mulieri ea verba optatissima acciderunt, si à Deo amaretur, & nuncium illud cum marito communicat, qui gnarus modestiæ Conjugis, eam ad locum à Sacerdote monstratum, ut Anubidis amori serviret, abire sinit. Mundus jam ante ibi abditus per totam noctem sub Anubidis nomine libidine sua expleta, discedit. Illa reversa Anubidis apparitionem marito narrat, apud familiares de congressu Dei gloriatur. Sed tertio post id facinus die, Mundus ei obviam factus, Paulina, *inquit*, & ducenta millia habes, & tu mihi gratis gessisti morem: Tua vero erga Mundum injuria me non attigit, qui Anubidis nomen mihi ipse fecerim. E quibus verbis mulier intellecto facinore, vestibus laceratis marito insidias indicat. Is apud Tiberium conqueritur: Imperator facinore comperto Sacerdotes & Iden in crucem tollit, Isidis simulacrum in Tiberin demergit, Mundum in exilium agit, pœnam graviorem ob amoris vim clementia moderatur.

28 Similis fere astuti adulterii exemplum refert Joan. Bisselius *illustr. ruinar. decad.* 1. *in ruina* 10. *quæ est Pharaonis Cenchris in notis lit. m. p. m.* 667. Præfectus operum quidam ex Ægyptiis, cum oculos & cupidinem adjecisset Hebrææ cuidam Salomithæ nomine, maritum illius ante diluculum ad labores excitavit. Paulo post, tanquam labore perfecto rediens Ægyptius, maritiq; partes callide simulans subrepsit Salomithæ tanquam Conjugis suæ lecto, perpetratoq; adulterio cum jam illuxisset & agnitus esset, discessit,

ſit,muliere fœde illuſa. Ex eo autem ſtupro ortum ajunt puerum,qui poſtea in caſtris Arabici deſerti,Deo maledixit, *Levitic. c.24.v.10.* Deiq; imperio lapidibus eſt oblectus. Salomitha porro fraudis agnita fœditate, reverſo marito vero, tantum facinus non ſiluit. Hic Zelotypiæ furore concitatus cum uxoris adultero graviter expoſtulavit. Sed Ægyptius, tanquam injuriam accepiſſet,ac non ipſe prior intuliſſet, in Hebræum ultro graviterque non verbis modo,ſed inflictis etiam verberibus invectus eſt, cui cum opprimendo par non eſſet Iſraelites,ſuperveniſſe caſu Moſen. Hic intellecta jurgii cauſſa reum,auctoritate ſibi à Deo tacite conceſſa, interfecit: & hunc eſſe Ægyptium illum,de quo ſcribitur *Exod.2.* quem Moſes occidit, volunt veteres Rabini.

Itaque cum uxoris forma ſupercilium ſecum afferat & ſuperbiam,genitalemq; torum libidinibus fœdet, cum ſit ejus naturæ,ut non patiatur illa voluptate abſolute frui maritum, propterea cavendum fugiendumque veluti Sirenios ſcopulos uxoris formoſæ contubernium.

V. *Virginem ducas uxorem.* Si enim Virginem ſibi quis 29
in matrimonium ſumpſerit,poterit illam gratis moribus imbuere & ad nutum voluntatemque ſuam inflectere; quod etiam ſvadet Heſiodus lib.2. ἐργ. καὶ ἡμέρ.

παρθενικὴν δὲ γαμεῖν ὡς κ' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.

Hinc Veneti ſolent ſuas admodum puellas virgines matrimonio
elocare. Puellam enim Virginem tunc teneram & mollem atq; 30
informem & rudem,in quemvis habitum ſequacem & in utramque partem flexibilem, facillime quocunque duxeris, trahes, ad tuamque vitæ rationem haut ægre formabis. Natu autem grandiores & viduas, quibus & ſui jam & alieni mores pertinaciter inſeverunt,ægerrime reformabis, alte Hunde ſeynd übel bändig zu machen. Præſumptum eſt etenim, ut eleganter ſcribit Ulpianus *in l. præcipiunt 37 ff. de ædilit. edict.* ea mancipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe,& ad omnia miniſteria aptiora,dociliora & habiliora: Trita vero & veterata difficile eſſe reformare & ad ſuos mores formare. Ad quem text. notat Salicet. & Cœpolla, viduas ſua & aliena vitia ſcire; quod & Ovidius expreſſit his verſiculis:

Quæ præbet latas arbor spectantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure refelli;
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

31 Viduæ namque priorum maritorum mores vel corruptissimos, optimos tamen arbitrantes, ob id solum, quod illis sunt assvetæ, secundorum maritorum etiam probatissimos aspernantur. Exinde assiduæ querelæ, domestica convitia, quotidianæ exprobrationes, quicquid egeris feceris ve, quod forte fortuna displiceat, confestim priorem maritum ob oculos objicient. Et ut Libavius scribit ad Phremilium; non deerunt querelæ, se priori viro fuisse chariorem. Accursius *in Authent. de fidejussor. in princ. in verbo apparentem* scribit; Uxorem tum demum de morte boni mariti conqueri, cum minus bonum sortita est: Ego vero asseveranter affirmo, etiamsi multo melior maritus secundus, nedum se pejor contigerit, novam semper vitæ rationem horrere atq; execrari, insvetosque mores fastidire.

32 Hinc non immerito derisus fuit Bulgarus, cum inciperet explicare *l. rem non novam C. de judic.* propterea quod nocte præcedente viduam vetulamque sibi desponsasset, ut in ea ipsa lege refert Accursius. Plutarchus autem in libro de tranquillitate animi taxat Euphorionem, quod cum prædivite vetula concumbere cuperet. Idem in Demetrio refert, quod cum Antigonus Pater ipsi Demetrio juveni svaderet, ut uxorem duceret Phillam Antipatris filiam, & Cratero olim junctam, cujus erat apud Macedones insignis benevolentia, isque eam ut vetulam aspernaretur, insusurravit Pater illud Euripidis:

ὅπου τὸ κέρδος, παρὰ φύσιν γαμητέον

Ubi affulserit lucrum, ibi præter naturam ducenda uxor.

VI. *Uxori tuæ futuræ vitium corporis tui detegas.* Mari-
33 tus etenim si aliquo vitio corporis affectus sit, illud diu celare non potest, consummato matrimonio proindeque recte facit, si illud ante nuptias vel desponsationem ineat, Sponsæ suæ manifestet, ne si jam consummato matrimonio rescicat illa, se contemnat,

mnat,deteſtetur, abhorreat, & ob id alios viros petulanter ſecte-
tur,niſi forte putet,mulieres omnes eſſe ſimiles Biliæ, Cnei Du-
elli, & uxori Hieronis, Siracuſani Tyranni. Cum enim ipſarum 34
viris in quodam jurgio fuiſſet exprobatum,quod illis os fœteret,
ſuis id uxoribus crimini dederunt,utpote quæ nihil unquam hac
de re dixiſſent; at illæ reſponderunt, exiſtimaſſe ſe viros omnes
ita olere. Certe ſingulare hoc fuit caſtitatis teſtimonium, ſed
quod tam multis ſeculis tantum bis contigiſſe legitur; & ſi quis
etiam Diogenis lucerna omnes urbes & vicos perquirat his no-
ſtris temporibus,uxorem his ſimilem non reperiret. Hac in re
prudenter fecit pater Sergii Galbæ,Romani Imperatoris, qui, *ut
ſcribit Tranquillus*,cum eſſet brevi corpore ac etiam gibber, & ta- 35
men à Livia Ocellina,divite admodum & pulchra, ultro eſſet in
virum appetitus & aliquanto enixius, ille tum ſubinde inſtanti
vitium corporis ſecreto poſita veſte, detexit, ne quaſi ignotam
fallere videretur. Simile quippiam feciſſe tradit Apulejus *lib. 2.
Floridor.* Cratem Thebanum nobilem Philoſophum. Nam cum
Hipparchia,quæ & ipſa Philoſophiæ deditisſima fuit, eum mari-
tum optaret,is interſcapilium retexit,quod erat gibberoſum, pe-
ramque cum baculo & pallium humi projecit, profeſſus puellæ
eam ſibi eſſe ſupellectilem,eamque formam quam videret. Pro-
inde,*inquit*,ſedulo conſule,ne poſt pœnitudo te capiat. Enim-
vero Hipparchia conditionem accepit, reſpondens, jamdudum
ſibi proviſum ſatis eſſe, & ſatis conſultum, neque ditiorem mari-
tum neque formoſiorem uſpiam gentium poſſe invenire, pro-
inde duceret,qua liberet, & ita Crati nupſit Hipparchia,

VII. *Uxorem dominari non ſinas.* Sunt quidem non- 36
nulli,qui fato qvodam & aſtrorum lege dominio uxorum ob-
noxii; ſed quoniam ſapiens dominabitur aſtris, huic conſtella-
tioni prudens maritus obviam ire poteſt,ſi velit, hoc remedio ex
ſententia doctiſſimi JCti Andr.Tiraquelli *in leg.8.Connub.n.7.* Ne
nimium ſtatim ab initio uxorem ſibi æquari patiatur. Alioquin,
ut apud Livium *lib. 34.* in defenſione Legis Oppiæ eleganter
diſſerit M. Porcius Cato, eam ſibi intolerabilem futuram ſciat.

Sta-

Statim enim, simul ac par esse ceperit, superior erit. Proinde da-te frenas impotenti naturæ & indomito animali: desperate ipsas modum licentiæ facturas, nisi vos faciatis: Omnium enim rerum libertatem, imo licentiam, si vera dicere volumus desiderant. Quod & è Livio citat Lucas de Penna *in l.1. col.1. in fin. C. de mulier. §. in quo loco lib.10.* Unde recte monet Nevizanus *in Silv.*
37 *nuptial. l. 4. n. 79. vers. & communiter.* Sponsum omnino cavere debere, qualem se prima nocte suæ sponsæ significet; an simplicem & bonum hominem, an callidum & prudentem virum; talem enim sæpius consuevit mulier virum habere in posterum,
38 qualem prima nocte sibi persvaserit. Hinc & inter Legum Doctores convenit, virum non teneri uxorem vocare Dominam, præsertim si hunc appellationis titulum à viro sit consecuta, Bartol. *in l. si judex ff. de minor. & in l. si post mortem §. ult. in penult. quæst. ff. de bonor. poss. cont. tabb. & in l. pen. C. de donat. int. vir. & ux.* Panormitan. & Felin. *in c. ex parte de for. compet.* Socin. *in l. omnes ff. de except.* Jason. *in l. cum filiofam. col.3. v. hinc videmus ff. de legat.1.* Tiraqvell. *in leg.5. Connub. n.15.* ubi plures allegat.
39 VIII. *Uxorem nimium se ornare non sinas.* Mulieribus quidem olim permissus erat ornatus, ut formam suam concinniorem efficerent, Valer. Max. *l.2. c.1.* Sunt enim admodum insulsæ atque invenustæ sine munditia & sumptu, Plaut. *in Pœnul. act.1. sc.2.* Sed vitiosum ubique, quod nimium. Illæ oculos Christianorum, graviter censente Hieronymo *epist. 8.* scandalizant potius, quæ purpurisso & quibusdam fucis ora oculosque depingunt, lavandoque & fricando nunquam saturantur:

Mulier recte olet, ubi nihil olet:
Nam isthæc veteres, quo se ungventis unctitant interpoles
Vetulæ, edentulæ, quæ vitio corporis fuco oblinunt,
Ubi se sudor cum ungventis consociavit; illico
Itidem olent, quasi cum una multa jura confundit coquus.

uti Plautus in Mostellaria jocatur. Quin potius ex illis hoc audire

dire placet, quod mulier illa apud eundem Plautum, in Pœnulo ait:

Bono ingenio me esse ornatam, quam auro multo malo.
Multa sunt mulierum vitia, sed hoc e multis maximum est,
Cum sibi nimis placent, nimisque operam dant, ut placeant viris.

Et refert Galenus *in exhortat. ad bonas artes* historiam de Phryne: 40
Hæc, *inquit*, cum esset in quodam convivio, in quo ludus hic agebatur, ut singuli per vicem imperarent quæ vellent, vidissetque mulieres adesse anchusa cerussa & fuco pictas, jussit inferri aquã, moxq; præcepit, ut omnes aquæ immersas manus semel admoverent ad faciem, deinde ut illico linteo extergerentur. Atq; hoc ipsa primo omnium fecit, ac cæteris quidem omnibus fœminis facies maculis opplebatur, diceres te videre quasdam ad terrorem factas imagines; ipsa vero pulchrior apparebat, quam antea: Sola enim carebat artificio formæ, sed speciem habebat nativam, nihil opus habens malis artibus ad formæ commendationem. *Hæc Galenus*. Ex quibus facile apparet, hujusmodi fucos sæpe in contumeliam & opprobrium fœminarum cedere. Cui consentit Ovidius lib. 2. Fastor. de Lucretia:

Forma placet niveusque color, flavique capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.

Et paulo post:

Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit,
Neglectæ collo sic jacuere comæ.

Plinius in Panegyrico laudat uxorem Trajani, quod esset modica cultu. Petr. Martyr *Locor Commun. cap. 39.* scribit, uxorem Philonis interrogatam, quamobrem sola in conventu mulierum non gestaret ornatum aureum, respondit, quoniam sufficiens ornamentum mihi est mariti virtus. 41

Hinc prudenter a Zeleuco suis legibus statutum est, ne liceret mulieri aureis ornamentis circumponi, neque contextis indumentis arteque laboratis vetustati, nisi cum scortari atque 42

amatorem sibi moliri studuerit. Atque ita facillime eo pœnæ genere, vituperio scil. probri, perniciem omnem delitiarum atque intemperantiæ labem coercuit, exclusitque licentiæ procacitatem, maxima impudicitiæ incitamenta. Sic Ausonius in quodam Epigrammate Deliam increpat, quod meliore cultu uteretur:

Delia nos miramur, & est mirabile, quod tam
Dissimiles estis tuque sororque, tua.
Hæc habitu casto, cum non sit casta, videtur;
Tu præter cultum nil meretricis habes.
Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus:
Te tamen & cultus damnat, & actus eam.

43. IX. *Uxorem frequenter comprimas.* Inter omnes rationes, quibus uxor maximè ad amorem maritalem invitatur, sunt qui existimant nihil omnium rerum efficacius, nihilque in id plus habere roboris, quam si fundum uxorium diligenter impigrè & frequenter aliquis colat. Id enim faciens, tametsi fuerit horridus, deformis & squalidus, ab uxore tamen non vulgariter amabitur, quin & illa ipsum habebit quasi Deum in terris alterum & observabit. Alias si hoc defuerit, odio illum ac despectui habebit, quantumcunque eam amaverit, castumque se atque aliarum coitum abhorrentem præstiterit. Apud Plautum *in Trucul.* cum Stratophanes miles miraretur, Phrenesiam mulierem rusticum quendam ardenter deperire, mox eam audit, ut admirari desineret, hæc dicentem:

Quanquam hic squallidus est, quanquam hic horridus,
scitus bellum init.

Contra apud Apuleium *lib. 5. de Asin. aureo.* fœmina quædam virum exitiali odio persequitur, quia rarò palæstram veneream exerceret, suamque in ea re fortunam dolenter ac misere deplorat: Ego verò, inquit, maritum rarissime venerem meam recolentem sustineo. Sed illis equidem credo vel sine testibus. Quis enim non credat mulieres eam rem sitienter appetere,
44. nullaque re magis ad amandum allici. Quanquam etiam repetiantur uxores, quæ ob nimium coitum viros repudiarint,

quem-

quemadmodum ſcribit Jacobus Cijo Epiſcopus Ilerdenſis in *c. fraternitatis de frigid. & malef.* fuiſſe ſuo tempore quempiam Catalanum adeò potentem ad rem Veneream, ut quolibet die cum uxore trigeſies concumberet: Quæ de ea re conqueſta eſt apud Regem Arragoniæ, qui maritum accerſivit, eumque an id verum eſſet, interrogavit, qui id ipſum confeſſus eſt. Ideò ei prohibitum eſt ſub pœna capitis, ne plus quam ſexies quâlibet die uxorem cognoſceret, ne ea in diſcrimen mortis incurreret.

Præſcripſerunt quidem nonnulli Medici certa quædam tempora, quando & quoties actum venereum quis exercere debeat, quemadmodum & Solon in ſuis legibus ſanxit, tradente Plutarcho in ejus vita, ut ter ſingulis quibusque menſibus vir uxori congrederetur, tanquam is peccare videatur vel in exuperantia, vel in defectu, qui frequentius rariusq; coierit. Sed quid quæſo proderit iſta maritis præſcripſiſſe, cum illis plerumq; non ſit liberum neq; tempus oportunum in eam rem, neq; cætera obſervare? Sunt enim pleræq; uxores, neſcio & annon omnes, præ coitûs inſatiabili quadam appetentia tam improbæ, tam importunæ, tam acerbæ exactrices, ut per illas non liceat maritis modum & tempus & numerum ullum tenere. Quid faciant igitur? non poſſunt ſine magno ſanitatis & animi & corporis diſcrimine illis ſatisfacere, etiamſi Proculi illius Cæſaris & Catalini neſcio cuius & Herculis robur ad coitum obtineant, qvorum ille in ſua quadam Epiſtola teſtatus eſt, ſe centum Virgines Sarmaticas bello captas quindecim dierum ſpatio vitiaſſe, atque ex his decem nocte unâ, ut ſcribit Flavius Vopiſcus. Alter quotidie trigeſies, ut paulo ante dictum, uxorem cognoſcebat. Poſtremus, *quod admiratione dignum*, unâ nocte cum quinquaginta Virginibus Theſpii Erithei Athenienſis filiabus concubuiſſe, omnes gravidas maribus reddidiſſe, & duas, ſcilicet natu maximam & minimam geminis, fertur: præter unam quam intactam reliquit, & per totam vitam virginitatem ſervare, ſibique ſacram eſſe voluit, quod refert Pauſanias *lib. 9.* quo Bœotica deſcribit, & Theodorus Cyrenenſis de curatione Græcarum affectionum. Diodorus autem Siculus *lib. 5. Bibliotheces cap. 2.* tra-

dit Herculem omnes compressisse, ex hisque tot mares, numero quinquaginta suscepisse communi nomine Thespiadas dictas Tiraqvell. *Leg.Connub.15.num.92.* ubi & subsequenti *num.93.* subdit; Quisquis hujusmodi uxorem adeò coitus appetentem & virosam nactus fuerit, illud moneo, ut è bove silvestri nigro sangvine hircino lumbi perungantur ipsi uxori, ui illi tædium Veneris fiat, juxta Osthanis Medici sententiam à Plinio relatam *lib. 28.cap.19.* ubi & ipse Plinius subdit ex ejusdem Osthanis sententiâ, amoris quoque tædium fieri potâ hirci urinâ, admisto propter fastidium nardo.

47. Quod si verò uxor non adeò importuna & appetens, sed viri supellectili contenta fuerit, & officium ac debitum maritale aut verbo aut etiam nutu expetat, tunc maritus sponte & alacriter si vires suppetant, ejus desiderio satisfaciat, ne ipsa à viro spreta aliunde petitum eat.

48. X. *Uxorem à congressu & familiaritate aliarum impudicarum mulierum arceas.* Hujusmodi enim impudicæ mulieres non solum suo exemplo nocent, verum etiam plerumque alias mulieres blandis suis & adulterinis sermonibus, ad impudicitiam alliciunt; & in id sedulo incumbunt, ut socias habeant, omnesque mulieres sibi similes efficere student, ut verum sit, quod Hermione, alio tamen respiciens apud Euripidem in Andromache dicit:

Κακῶν γυναικῶν εἴσοδοι μ' ἀπώλεσαν
αἵμοι λέγουσαι τοὺς δ' ἐχαύνωσαν λόγους.
Malarum fœminarum introitus me perdiderunt,
Quæ mihi loquentes hos blande persvaserunt sermones.

49. Magnam enim vim ad corrumpendos mores habet sceleratorum & improborum consvetudo & familiaritas, quod tam sacræ quam profanæ testantur literæ. In Sacris quidem Sapientissimus Regum Salomon in suis Proverbiis cap.13. dicit, *Qui cum sapientibus greditur sapiens erit, amicus stultorum similis efficietur.* Et cap.21. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambula cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus.* Et in Ecclesiaste cap.13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit superbo, induet superbiam.*

biam, & pluribus aliis locis. Inter profanos ſcriptores eleganter ſcribit Plutarchus *de liber. educ.* ἂν χωλῷ παροικήσῃς ὑποσκάζειν μαθήσῃς; Si juxta claudum habitaveris, diſces & tu ſubclaudicare. Id quod Pindari interpres ex Ariſtarcho ita reddit:

χωλῷ παροικήσας κἂν ἐνὶ, σκάζειν μάθοις.

Id eſt ex Eraſmi verſione:

Claudo vel uni ſi propinquus fueris,
Diſces & ipſe claudicare protinus.

Sic Seneca *lib. 3. de ira.* Sumuntur à converſationibus mores, & ut qvædam in contracta corpore vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit: Ebrioſus convictores in amorem viri traxit: Impudicorum cœtus fortem etiam virum emollit: Avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem è diverſo ratio virtutum eſt, ut omne qvod ſecum habent, mitigent, nec tam valetudini profuit utilis regio, & ſalubrius cœlum, quam animis parum firmis in turba meliorum verſari. Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque convictu noſtro manſveſcere, nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contubernium diu paſſa eſt. Idem *in libro de Tranquillitate animi* monet, ut amicos vacuos, quantum fieri poteſt à cupiditatibus eligamus. Serpunt enim vitia & in proximum quemque tranſiliunt & contactu nocent. Itaque ut quod in peſtilentia curandum eſt, ne corruptis jam corporibus & morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipſo in proximo laborabimus: ita in amicorum legendis ingeniis, dabimus operam, ut quam minime inquinatos aſſumamus. Ad qvod etiam alludit vetus illud adagium. *Botrus juxta botrum maturescit*, translatum ab uvis, quæ mutuo oppoſitu maturitatem & liqvorem inter ſeſe viciſſim & dant & accipiunt. Qvo etiam reſpicit Juvenalis Satyr. 2.

-- Dedit hanc contagio labem
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit & porrigine porci,
Uvaque conſpecta colorem ducit ab uva.

Huc quoque spectat Ovidius lib.2. de remed.amor.

Si quis amas, nec vis, facito contagia vites:
Hæc etenim pecori sæpe nocere solent.
Dum spectant læsos oculi, læduntur & ipsi:
Multaque corporibus transitione nocent.

Id quod etiam astruit ille Senex Philto Plautinus *in Trinumo Act.2. Scen.2. in princ.* ubi filium Lysitelem ita monet:

Per pietatem nolo ego cum improbis te viris
Gnate mi, neque in via, neque in foro ullum sermonem exeqvi.
Novi ego hoc seculum, moribus quibus sit, malus bonum malum
Esse vult, ut sit sui similis: turbant, miscent mores mali.

Proindeque alter alterum, cum quo est familiaritas & consvetudo, solicitat, ut id ipsum faciant, quod ipsi facere solent. Quod etiam, affirmat JCtus Ulpianus in *l. Julianus. 13. §. quod autem diximus. 2. ff. de act. empt. & vend.*

50. XI. *Uxorem à congressu virorum impudicorum arceas.* Hi enim cum tales sint, nihil intentatum relinqvunt, omnibus artibus student & satagunt castitatem domus evertere, ut suis voluptatibus potiantur, & consvetudo amorem & libidinem conciliat, ut scribit Lucretius:

Consvetudo concinnat amorem.

Unde Cicero in *Lælio*: Auxit consvetudo benevolentiam. Nec hâc in re etiam amico fidendum, quoniam ut quis voluptati suæ indulgeat, nullam plerumque habet amicitiæ, fidei & honestatis rationem; Quod conqueritur Ovidius lib. 1. de arte amand.

Conquerar? an moneam, mixtum fas esse nefasque,
Nomen amicitiæ, nomen inane fides.
Heu mihi non tutum est, quod amas laudare sodali;
Cum tibi laudanti credidit, ille subit.

Deindeque perpaucos amicos in eâ re extitisse, sed nullos hodie tales amplius reperiri posse affirmat;

At-

At non Actorides lectum temeravit Achillis:
Quantum ad Pirithoum Phædra pudica fuit.
Hermionem Pylades, ut Pallada Phœbus amavit,
Quodque tibi geminus Tyndari Castor erat.
Si quis idem sperat, laturas poma myricas
Speret, & è medio flumine mella petat.
Nil nisi turpe juvat, curæ est sua cuique voluptas:
Hæc quoque ab alterius grata decore venit.
Heu facinus, non est hostis metuendus amanti?
Quos credis, fidos, effuge, tutus eris.
Cognatum, fratremque cave fidamque sodalem:
Præbebit veros hæc tibi turba metus.

XII. *Maritus fugiat conversationem eorum, quos habet suspectos.* Maritus enim ad vitandam ignominiam cornuum & suspicionem debet auferre omnes occasiones & conversationes eorum fugere, quos de uxore suâ habet suspectos, nec ab iis aliqua munera capere, propter illud proverbium: *Qui vult adulterare uxorem, prius adulteret ejus maritum:* Conversatio enim viri præstat introductionem ad ejus uxorem: Imo aliqui ita transformant vocem mariti, quod uxor credat illum esse maritum suum; Bavarius *in §. sed hæc quidem. col. 2. Instit. de testam.* & nulla pestis est efficacior ad nocendum quàm familiaris inimicus, *gl. in l. 1. ff. ad Syllan.* & qui recipit inimicum in familiarem, dicitur nutrire murem in perâ, serpentem in gremio & ignem in sinu. *c. & si Judæos. x. de Judæis.* Propterea docet sapiens ille, 51.

Cum tibi sit Conjux ne res & forma laboret,
Vitandum ducas inimicum nomen amici.

Auferenda etiam est materia delinquendi, *l. convenire. ff. de pact. dotal.* Nevizan. *in silv. nupt. lib. 4. num. 86.*

XIII. *Uxorem cum viris alienis solam esse non sinas.* Svadet hoc Tiraquellus *in Leg. Connub. 16. num. 58.* ne fœmina cum viris sola sit, sed semper comitata ancillis aut aliis honestis mulieribus, 52.

ribus, exemplo Penelopes, quæ cum cogeretur urgente quapiam necessitate in cœtum procorum descendere, nunquam sola, sed semper aliis mulieribus eam comitantibus incedebat; ubi & ad hanc rem versus aliquot ex Homero citat.

53. XIV. *Uxorem otio non adsuescas, sed domestica negotia curare sinas.* Otium enim perpetuus pudicitiæ adversarius, & omnibus vitiis & sceleribus viam veluti sternit & fenestram aperit, testimonio illius sapientis,

Nam diuturna qvies vitiis alimenta ministrat.

inprimis vero libidini venereæ, quæ cum invenit ingenium atque animum aliis occupationibus vacuum & desidem, statim sese infert & titillat & voluptatibus continue immergit, unde recte cecinit Ovidius lib. 1. de remed. amor.

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent & sine luce faces.
Quam platanus rivo gaudet, quam populus unda
Et qvàm limosa canna palustris humo.
Tam Venus otia amat, finem qui quæris amoris,
Cedit amor rebus, res age, tutus eris.

54. Propterea potius domesticis negotiis assvefacias: uxorum namque peculiare genuinumque officium est, domestica negotia curare, & quas sudore & magnis laboribus comparavit, domique locavit divitias, sedula ac fideli cura custodire: alias continuo disperit id, qvod multo tempore & negotio vir ipse qvæsivit, sicuti hoc ostendit Polygnoti, aut ut Plinio placuit, *lib. 33.*
55. *cap. 11.* Socratis pictura, in qua Ocnus funiculum contexit, adstante ascella, quæ quod contextum fuerit, assidue abradat. Hunc ocnum ut scribit Pausanias *lib. 10.* quo de Phocicis tractat, hominem dicunt fuisse industrium & laboriosum, sed uxorem habuisse negligentem rerum domesticarum sumptuosam ac prodigam, & quæ quicquid maritus suo labore acquisivit, prorsus absumeret. Hincque ab Jonibus dici solitum, si quem conspexissent in re quapiam elaborantem, quæ nihil afferret emolumenti; Hic homo funiculum Ocni contorquet. De

huius-

hujusmodi etiam Ocno ſcribit Propertius *lib. 4. Eleg. in Epiſt. Aretuſæ ad Lycotam.*

Dignior obliqvum funem qui torqueat Ocno,
Æternumq́; tuam paſcat aſelle famem.

Hanc Ocni effigiem Andreas Alciatus in ſuis Emblematibus poſuit cum his verſibus:

Impiger haut ceſſat funem contexere ſparto,
Humidaq́; artifici jungere fila manu.
Sed qvantum multis vix torqvet ſtrenuus horis,
Protinus ignavi ventris aſella vorat.
Fœmina iners animal, facili congeſta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inq́; ſuum.

Uxor enim laborum periculorumqve ſocia venit, idem in pa- 56.
ce, idem in prælio paſſura auſuraq;, uti ſcribit Tacitus *de Morib. Germ. cap. 18. circa fin.* Quid enim tam humanum eſt, quàm fortuitis caſibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem eſſe, *l. 22. §. 7. ff. ſolut. matrim.* Levamen ergo onerum habeat maritus, ut dote datâ recompenſentur conjugii moleſtiæ. *l. 7. in pr. ff. de jur. dot.*

XV. *Uxorem vagari non ſinas.* Vix enim aliud eſt 57.
quod magis obſtet pudicitiæ mulierum, qvam ſi hinc inde ſemper vagentur, adeò ut verè dixerit Angelus *in l. ſi qua illuſtris. C. ad SC. Orfitian.* quod ea meretrix præſumatur, quæ alienas domus, nunc hanc nunc aliam intrare conſvevit. Unde non temere ſcribit Specul. *tit. qui filii ſint legitimi. §. 1. verſ. quid ſi viro abſente.* quod vir poſſit cogere uxorem, ut ſe domi contineat, *per text. in l. 2. ff. de lib. exhib.* cui convenit illud qvod ſcribitur *in cap. mulieres. 2. in pr. de judic. lib. 6.* Mulieres vagari non convenit, nec virorum cætibus immiſceri: Quod ſumptum eſt ex *l. maritus. C. de procurat.* ubi dicitur, ne fœminæ perſeqvendæ litis obtentu, in contumeliam matronalis pudoris irreverenter irruant, nec conventibus virorum vel judiciis intereſſe cogantur. Elegantem hac de re admonitionem ad mulieres tradit Tiraqvellus *in leg. Connub. 10. n. 37. his verbis*: Mulieres moneo, ne alienas domus circumeant, ne foris temere evagentur, ne-

ve peregre proficiſcantur, ſed domi maneant, domeſtica negotia adminiſtrent, & in his domum ejusque ſupellectilem curent, ac hortum ejusdem non indiligenter colant, cujus non eſt modicus ad rem familiarem proventus. Nam & hanc curam matribus familias demandavit antiquitas, ut teſtatur Plinius *Nat. Hiſt. lib. 19. cap. 4.* ubi de hortis loquens ſic ait : Hinc primum agricolæ æſtimabantur priſci. & ſic ſtatim faciebant indicium, nequam eſſe matremfamilias ubi indiligens eſſet hortus.

58. XVI. *Uxorem ſobrietati aſvefacias, nec vinum ipſi bibere permittas.* Vini enim & cibi ſatietas ſunt vera libidinis ir-
59. ritamenta. Olim apud multas gentes uſus vini fœminis fuit interdictus, ut quas viderent illius uſu eſſe intemperantiores, adeoque ſatius eſſe ut omnino abſtinerent, ſicuti apud Romanos obſervatum fuiſſe Hiſtoriæ teſtantur vini uſum illorum fœminis ignotum fuiſſe, nec licuiſſe mulieribus vinum bibere: & ut deprehenderetur, an aliqua vinum bibiſſet nec ne, ob eam rem inſtitutum fuiſſe, ut oſculum offerrent cognatis forte occurrentibus: Ejusque rei lex etiam poſita fuit ab ipſo Romulo in hæc verba: SI VINUM BIBERET DOMI, UTI ADULTERAM PUNIUNTO : Quibus verbis indicatur, mulierem vinoſam & adulteram ejusdem criminis ream eſſe, veluti alterum ex altero prodeat. De italis quoque hoc ipſum teſtatur Alcimus Siculus in Italica Hiſtoria apud Athenæum *lib. 10. cap. 13.* Sic etiam de Mileſiis atque etiam de Maſſilienſibus refert Theophraſtus, qui & id tempeſtate ſua Mileti obſervatum fuiſſe tradit, & ex hoc Athenæus *l. 10. cap. 8.* Quod etiam confirmat Cœl. Rhodiginus *Antiqv. lect. lib. 15. c. 6.* Et hoc propterea ita ſtatutum fuit, ne mulieres vinum bibentes libidinem libidini adderent, & in aliquod dedecus prolaberentur. Quoniam ut eleganter ſcribit Valer. Maximus *lib. 1. cap. 1. de matrimon. ritu num. 5.* proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſvevit. Et ut Dionyſ. Halicarnaſſæus *lib. 2.* ait: *Ebrietas initium eſt ſtupri & adulterii; ſtuprum vero ſeu violata pudicitia vecordiæ eſt principium.* Ex quo æſtimari poteſt, quid hodie de vinoſis fœminis earumque pudicitia ſentiendum ſit. Et quod de vino dictum eſt etiam de cibi nimia ſatietate & inglu-

vie

vie obtinet: Ventris enim ingluvies ad luxuriam facile provocat, Unde Hieronymus: *Venter & genitalia sibimet ipsis vicina sunt, & ex vicinitate membrorum confœderatio intelligitur vitiorum.* 60.
Hinc apud Apulejum *lib. 5. de asin. aur.* Venus dicit sobrietatem esse suam inimicam: *Petamne*, inquit, *auxilium ab inimica mea sobrietate.* Et D. Hieronymus, *ad Furiam de Virginitate servanda, Adolescentia*, inquit, *fervente cibis corpore, de castitate secura est. Neque vero hæc dicens condemno cibos quos DEus creavit ad utendum cum gratiarum actione: sed juvenibus & puellis incendiva assero voluptatum. Non Ætnei ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvius & Olimpus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ & dapibus inflammatæ.* Crates Thebanus apud Laertium in vita ipsius, dicebat amorem sedari fame, sin minus tempore; eis vero si uti non vales, laqueo. 61.
Et Terentius in Eunucho dicit: *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Quam sententiam declarans D. Hieronymus alicubi: *Distento*, inquit, *ventre, distenduntur & ea, quæ ventri adhærent*, per id significans libidinem esse gastrimargiæ comitem.

XVII. *Uxorem abnoctare non sinas, ut & ab omnibus cœtibus & congressibus nocturnis arceas.* 62.
Abnoctatio enim mulieris, præsertim invito marito sine justa causa facta præsumptionem vel commissæ vel committendæ turpitudinis facit. Felin. *in §. præter ea n. 3. verb. & idem. si pernoctent extra domum. de testib.* Mascard. *de probat. concl. 60.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præs. 41.* Et si diutius abnoctavit mulier etiam honeste vivens, virum saltem suum quasi possessione tori spoliat. Bald. *Cons. 221. vers. secundo vero casu. vol. 2.* Nox enim nemini amica. Propterea etiam omnes in universum cœtus nocturni, nocturnæq; coitiones omnesque alii clandestini conventus Lege XII. Tabb. 63.
aboliti sunt, capitalique judicio condemnati; quod deinde & Lege Gablinia promulgatum esse testatur Petr. Gregor. *Syntagm. jur. un. l. 35. c. 6. n. 16.* Qui nocturni conventus ne fierent, licet sub capitis pœna in masculis cautum esset, ne seditionibus lædendæve majestati humanæ locus esset, nec tamen ii mulieribus libere patere potuerunt, ne aliqua vel impudicitiæ vel rea-

realis, vel imaginariæ nota pudicis aliàs & honestis aut virginibus aut matronis impenderet. Quocirca Romulus in *Leg. 8:* sic eam interpretante Francisco Balduino, ne pudor mulieribus abesset, pudicitiaq; contaminaretur, in nocturnis virorũ & mulierum cœtibus ac congressibus, prudenter sanxit in hæc verba.

NOCTURNAS IN TEMPLO VIGILIAS NE HABENTO.

Hi autem nocturni congressus, dum cum mulieribus semper prohibentur, eo potissimum tempore condemnantur, quo magis effreni animi in voluptates præcipiti quodammodo lapsu efferuntur, quale est in Bacchanalibus. Quod & eò magis bacchationum tempore à Tertulliano Christi fidelibus fuit interdictum, quod Ethnici existimarent, Christianos in his conventibus fœda illâ cœcitate crimina, quæ olim ab ipsis gentibus impiè in tenebris sub prætextu religionis committebantur perpetrare, uti tradit Covarruv. *lib. 4. var. resol. c. 19. n. 10.*

64. Erant quoq; olim apud Ethnicos sacra quædam nocturna, in quibus mulieres in æde Cereris pervigilabant, qua quidem nocte viro concumbere piaculum erat. Explicat autem Virgo Phædria Euclionis filia, quid sibi ea nocte contigerit. Illam enim Leonides filius Eunomiæ Neposque Megadori compressit, de qua lar familiaris in Aulularia Plauti, in Prologo his verbis:

Is scit adolescens quæ sit, quam compresserit;
Illa illum nescit neque compressam autem Pater;
Is adolescentis illius est avunculus,
Qui illam stupravit noctu Cereris vigiliis.

Propterea tunc temporis ad vindicandam fragilis sexus pudicitiam nocturna illa paganorum sacra condemnata fuisse etiam sub gravissimis suppliciis testatur Covarruv. *var. resol. lib. 4. cap. 19. n. 10.* & Romulus inter suas leges & hanc quoque sanxit, ne essent nocturna sacra; his verbis.

NOCTURNA MULIERUM SACRIFICIA NE SUNTO, PRÆTER ILLA QUÆ PRO POPULO RITE FIANT.

De

De hâc Lege Covarruv. *d. loc.* ita ſcribit: Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto, præter illa, quæ pro populo rite fiant [1] *& ſubdit*; Quid autem mihi diſpliceat in nocturnis Poetæ indignantur Comici: Quia licentia Romæ data, quidnam egiſſet ille, qui in ſacrificium cogitatam libidinem intulit, quo nec imprudentiam quidem oculorum adjici fas fuit. Polydor. Ripa *in tract. de nocturn. temp. cap. 39. n. 9.*

Sic & Imperator Conſtantius talem Conſtitutionem de hac re edidit.

UT ABOLEANTUR NOCTURNA SACRIFICIA, MAGNENTIO AUTORE PERMISSA, ET NEFARIA DEINCEPS LICENTIA REPELLATUR.

Sic & Elibertinum in Hiſpania Concilium vetat nocturnas mulierum pervigilationes in cœmeteriis, quod eo, *inquit*, prætextu multa impudicè & turpiter clam committerentur.

Eupolis Athenienſis, priſcæ comœdiæ ſcriptor, in eâ fabulâ cui Baptas nomen fecit, nocturna Athenienſium ſacra quæ Cotyltia vocabantur, damnavit. Demonax illuſtris Philoſophus, tempore Adriani Imperatoris nunqvam ſibi permiſit, ut ad ſacrificia Eleuſina accederet. Cujus rei nomine à populo admodum exagitatus atqve accuſatus, tanquam patriæ religionis contemptor, oratione in eam rem habitâ, id accuſavit, dicens, ea ſacra meritò ſibi videri ſuſpecta, quod clam fierent. Ea autem palam fieri debere, ut ſi bona eſſent, alios ad amplectendam colendamque religionem; ſi mala, ad vitandam inducerent: uti teſtatur Lucianus *in vita Demonactis.*

Quin & Octavius ille Auguſtus inter pulcherrimas ſuas Conſtitutiones, eam quoque edidit: Ne ſecularibus ludis juvenes utriusque ſexus ullum nocturnum ſpectaculum frequentarent, niſi cum aliquo majore natu propinquorum, uti teſtatur Svetonius Tranquillus in ipſius vita *cap. 31.* Nempe quod id tempus nocturnum ſuſpectiſſimum eſſet & periculoſisſimum, his præſertim qui ob ætatis vel ſexus fragilitatem faciliime corrumpuntur.

65. XVIII. *Uxorem à lascivis confabulationibus arceas.* Inhonestæ enim, lascivæ & obscœnæ confabulationes ad libidinem provocant, Elegans est hac de re ille Menandri Senarius à D. Apostolo Paulo *1. ad Corinthios 15.* usurpatus:

φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί.

Corrumpunt bonos mores colloquia prava.

Cujus sententiæ meminit Tertullianus *lib. 1. ad uxorem, paulo ante finem.* inquiens, Convictum atque commercia DEO digna sectare, memor illius versiculi sanctificati:

Bonos corrumpunt mores congressus mali.

Cui concordat illud Naumachii Poetæ apud Arsenium.

κεδνὰ κακοὶ φθείρουσι γυναικῶν ἤθεα μῦθοι.

Verba bonos vitiant mulierum turpia mores.

Quos sequitur Jovianus Pontanus lib. 1. de amore Conjugali ad uxorem de liberis educandis:

Corrumpunt mala dicta animum moresque verendos
In veros sensus sæpe abiere joci.
Lascivos igitur sensus, lascivaque verba
Pignoribus nostris rite cavenda vide.

Item Baptista Mantuanus contra impudice scribentes:

Verba movent animos, oris lascivia pectus
Pulsat, & in venas semina mortis agit.

66. Aristoteles *lib. 7. Politic. cap. 17.* Omnino inquit obscænitas verborum, si quicquam aliud, per legislatorem exterminanda est de civitate: Ex turpiter enim loquendi licentiâ, seqvitur & turpe facere. D. Hieronymus ad Demetriadem, in ea Epistola, cujus initium est, inter omnes. *Nunquam, ait, verbum inhonestum audias, aut si audieris, irascaris. Perditæ mentis homines uno frequenter levique sermone tentant claustra pudicitiæ.* In hanc quoque sententiam Clemens Alexandrinus *lib. 2. Pædagog. cap. 10.* Impudicorum, *inquit,* verborum & turpium figurarum, meretriciorumque osculorum, & hujusmodi lasciviarum nomina, ne sunt quidem memoria tenenda, beatum sequentibus Apostolum, qui aperte dicit *ad Ephes. cap. 5.* Fornicatio autem & omnis obscœnitas ne nominetur quidem apud vos, sicut decet sanctos. Quo

Quocirca non injuriâ Lacedæmonii libros Archilochi è civitate sua exportari jusserunt, quod eorum parum verecundam ac pudicam lectionem arbitrabantur, ut tradit Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 3.* Similiter etiam Hiero Syracusanorum Tyrannus, Epicharmum Poetam Comicum mulctâ affecit, quod uxore ejus præsente lasciviæ quippiam protulisset, uti testatur Plutarchus *in Apophthegm. Impp.* Sic & Romuli Legibus, uti tradit idem Plutarchus *in vita ipsius*, qui coram fœminis obscœni quippiam dixisset, non secus ac homicida puniebatur. Nostris autem Legibus qui turpibus verbis coram fœminis utitur, licet alias earum pudicitiam non tentet, i. e. licet non faciat id, caussa tentandæ pudicitiæ, injuriarum tenetur, *l. item apud Labeonem §. qui turpibus. ff. de injur.*

XIX. *Uxorem ab obscœnis picturis arceas.* Hæ enim 67.
& ipsæ non minus impudicitiam incitant, uti videri licet ex Eunucho Terentii, ubi Chærea adolescens spectans tabulam in qua depingebatur Jovis & Danaes concubitus, in libidinem exarsit: *act. 2. sc. 5.*

- - - - - - - Virgo in conclavi sedet,
Suspectans tabulam quandam pictam ubi inerat pictura hac, Jovem
Quo pacto Danea misisse ajunt quondam in gremium imbrem aureum,
Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
DEUM sese in hominem convertisse, atque per alienas tegulas,
Venisse clanculum per impluvium, fucum factum mulieri,
At quem DEUM: qui templa cœli summa sonitu concutit.

Ego

Ego homuncio hoc non facerem ? Ego illud vero ita feci lubens

Quo in loco Donatus, Philoſophicè, *inquit*, nunc Terentius demonſtravit, quam cladem moribus hominum & civitatibus afferant figmenta Poetarum, cum exempla ſcelerum afferant pec-
68. caturis. Sic Propertius *lib. 2. Eleg. 4.* impudicitiæ veluti originem tribuit picturis obſcænis, quibus ſpectantes ad libidinem incenduntur, ita enim inquit;

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas
Et poſuit caſtæ turpia viſa domo.
Ille puellarum ingenuos corrupit ocellos;
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.

Tradit autem Svetonius, Tiberium cubicula plurifariam adornaſſe tabellis laſciviſſimarum picturarum, ut aſpectu deficientes libidines excitaret. Quocirca Ariſtoteles *lib. 7. Politic. cap. 17.* prohibet aſpicere aut picturas aut actus deformes, monetque ut ſit cura Magiſtratibus nullam neque picturam neque ſtatuam eſſe talium rerum imitatricem: niſi, (ut ſubdit Ironicè) apud Deos tales, quibus etiam laſciviam lex tribuit.

69. XX. *Uxorem à ludis publicis impudicis arceas.* Ludi enim, ſcenæ & ſpectacula publica, inprimis verò impudica propter eorum laſciviam & libidinem incitant, cùm multi illuc Juvenes cupidinei & ſpectatores otioſi conveniant, quia nihil aliud faciunt, quam retia tendunt & inſidias pudicitiæ matronarum & puellarum ponunt, ut docet Ovidius lib. 1. de art. amand.

Sed tu præcipuè curvis venare theatris:
Hæc loca ſunt voto fertiliora tuo.

Et paulo poſt;

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ;
Ille locus caſti damna pudoris habet.

Et lib. 2. de remedio amoris:

At tanti tibi ſit non indulgere theatris,
Dum bene de vacuo pectore cedat amor.

Ener-

Enervant animos cytharæ cantusq; liraq;
Et vox & numeris brachia mota suis.
Illic assidue picti cantantur amantes:
Quid caveas actor, quid juvet arte docet.

Quin etiam viri ipsi maxime in libidinem accenduntur, cum vident mulieres lascivè saltantes, sicuti Juvenalis Satyr. 11. ait:

Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat, prurire choro plausuq; probatæ
Ad terram tremulo descendunt clune puellæ
Irritamentum Veneris langventis.

Propterea Græcorum legibus prohibitum fuit, ne Olympicis 70.
certaminibus mulieres spectandi gratia interessent, sicuti tradit Valer. Maximus *l. 8. c. 16.* Berenices, *inquit,* non vulgaris honos, cui soli omnium fœminarum gymnico spectaculo interesse permissum est, cum ad Olympia filium Euclea certamen ingressum adduxisset, Olympionico patre genita, fratribus eandem palmam assecutis latera ejus cingentibus. Svetonius *in Augusto. cap. 44.* fœminis ne gladiatores quidem, quos promiscue spectari olim solemne erat, nisi ex superiori loco spectare concessit: Athletarum vero spectaculo muliebrem sexum summovit. Justiniani vero legibus licet viro uxorem repudiare, si ad Circenses aut theatrales ludos, aut arenarias venationes prodeat ignorante vel prohibente viro, uti dicitur in *§. quia vero plurimas in Authent. ut liceat matri vel aviæ. it. l. consensu. §. vir quoq; C. de repud.* Sic etiam Seneca hujusmodi ludos & spectacula improbat *in epist. 7. ad Lucilium.* Nihil, inquit, tam damnosum bonis moribus est, quam in aliquo spectaculo desidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior: Sic itidem quoque Lactantius *l. 1. c. 20.* Celebrantur illi ludi cum omni lascivia, convenientes memoriæ meretricis: Nam præter verborum lasciviam, quibus obscœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc minorum funguntur officio, & in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum hominum cum pudendis moribus detinentur.

71. XXI. *Uxorem a lectionibus librorum impudicorum arceas.* Hi enim supra modum libidinem accendunt & irritant, id quod ex Mantuano videre est, in illis carminibus, quibus impudica scribentes arguit:

Si proba vita tibi lasciváq; pagina, multos
Efficit incastos in Venerémq; trahit.

Item ex illo Ovidii lib. 2. de art. amand.

Eloquar invitus, teneros ne tange Poetas:
Summoveo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito, non est inimicus amori
Et cum Callimacho tu quoq; Coe noces.
Me certe Sappho meliorem fecit amica
Nec rigidos mores Teia Musa dedit.
Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?
Vel tua cujus opus Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto durus discedere Gallo?
Et mea nescio quid carmina tale sonant.

Propterea Athenienses petulantissimi Poetæ Archilochi libros e civitate sua exportari jusserunt, quod eorum lectionem parum verecundam & pudicam arbitrarentur. Noluerunt enim ea liberorum suorum animos imbui, ne plus moribus noceret, quam ingeniis prodesset, uti refert Valer. Max. *lib 6. cap.* 3. Hinc etiam D. Basilius *in libr. de legendis libris gentil.* Poetarum libros, qui adulteria Deorum impudenter describunt, rejiciendos esse monet. Hujusmodi enim Historiæ variis technis & callidis machinationibus mulieres instruunt, quibus maritum decipere & alios substituere possint: & vix aliquam uxorem reperies, quæ non ex lectione talium Historicorum ansam atque occasionem sumpserit ad prævaricandum, & hanc lectionem theoricam ad praxin applicandam.

72. XXII. *Uxorem bono exemplo praeeas.* Viri enim uxores exemplis suis, a vitiis, si qua sunt ad virtutum studia, provocant, pudiceq; viventes, ipsis bonos mores colendi autores sunt, juxta

JCti

JCti sententiam in L. *si uxor. §. judex. ff. de adulter.* Virorum enim dicta factaque sunt uxoribus quasi speculum, ad cujus intuitum suos ipsæ mores formant atque componunt. Nam cum semper alias exempla sint magni momenti ad corrigenda vel depravanda hominum ingenia, tum ea maxime, quæ a domesticis proficiscuntur, uti probat *text. in l* 1. *C. de emendat. propinqu.* Hinc persæpe maritus uxori dux atque exemplum lasciviæ fuit, 73. ut ait Petrarcha *de remediis adversæ fortunæ Dialog* 21. Nam ut Plutrachus *in præcept. Connub. cap.* 17. Vir corporis studiosus, uxorem reddit lasciviori cultui deditam: voluptuosus amatoriam & libidinosam: boni honestique amator modestam & honestam. Et rursus ibidem. Ne putes, *ait*, a superfluis profusisque sumptibus uxorem temperaturam, si te hæc minime contemnentem conspiciat: quin potius auratis poculis pictisq; cubiculis, mularum & equarum phaleris gaudentem videat: Non enim fieri potest, ut a mulieribus luxus removeatur, quo viri circumfluunt. Propterea quoque D. Augustinus in *c. si dicturi*, 32. *qu.* 6. nos monet, ut quales volumus uxores nostras invenire, tales & ipsæ nos inveniant, & si intactam quærimus, intacti simus: si puram puri, Idem *in libr. de decem chordis.* Si caput, inquit, est vir, melius debet vivere & præcedere in omnibus factis suis uxorem, ut illa imitetur virum: Sic etiam Seneca *in epist. 94. ad Lucil. pag. m.* 555. Improbus est, qui ab uxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor uxorum. Item Lactantius *de vero cultu cap.* 23. Exemplo, inquit, continentiæ ducenda uxor, ut se caste gerat, iniquum est enim, ut id exigas, quod ipse præstare non possis. Quæ iniquitas id efficit profecto, ut essent adulteria, fœminis ægre ferentibus, præstare fidem non exhibentibus mutuam Charitatem Et nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc causam vitiis suis prætendat, injuriam se peccando non facere, sed referre. Quod & Quintilianus expressit: Homo nec alieni matrimonii abstinens, neq; sui custos, quæ inter se natura connexa sunt: Nam neque maritus circa corrumpendas aliarum conjuges occupatus, potest vacare domesticæ sanctitati. Et uxor cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicari. Et maritus si se commiscet concubinis a muliere casti-

 tatem

tatem ipse exigere non potest, uti late docet Surdus *in tract. de aliment. tit. 7. qu. 16. num. 47. & seqq.* ubi plures consentientes allegat.

74. Propterea caveant mariti, ne aliarum mulierum sectentur concubitum, si uxores castas & non adulteras esse velint. Vicarium enim suæ voluptuariæ palæstræ venereæ, suique mellitissimi Pabuli ferre fœmina non potest, nec vult: & si eo se frustratam vel tantillum sentiat, aliunde sibi de compensatione providet; tum ne quid sibi de justo & legitimo concubitu depereat, sed acceptam ex viri adulterio jacturam sarciat; tum item ut se ulciscatur, & par pari referat. Et cum gravissimum in uxorem sit genus injuriæ habere pellicem, nec ulla re altius illa commoveatur & exasperetur, quam si maritum cum impudicis mulieribus inuenerit cœtum ineuntem: quid mirum utique si hæc illave ad familiarem fœminarum artem accensa vindicandæ thori suæ contumeliæ, ipsa quoque alienis se prosternat admissariis. Id ergo si fiat, Homericum illud proverbium, *Odyss. 10. uers. 218.*

ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

usurpare liceat: uterq; autem hendecasyllabos istos jure audiat:

Cum sitis similes paresq; vita,
Uxor pessima, pessimus maritus,
Miror tam male convenire vobis.

Sicque de Sigismundo Imperatore ejusque Conjuge Cuspinianus scribit: *Fuit fœmina immensæ libidinis & procacitatis inverecundæ, quæ sæpius viros peteret, quam peteretur:* sæpissime in adulterio à Sigismundo deprehensa fuit, sed adulter adulteræ ignovit: addens

Cornua qui faciunt, non cornua ferre recusent.

Quod idem Othocarum Regem dixisse, cum de pudicitia Conjugis sinistri ad se rumores delati essent, refert Æn. Sylvius *in parallelis Alphonsinis lib. 3. cap. 7.* Adulteria ergo a conjugibus commissa mutua compensatione tolluntur.

75. XXIII. *Locum mutes.* Svadent nonnulli, ut si alicui suboleat

oleat uxorem ſuam in cujuspiam amorem propendere, eam ſpecie alterius honeſtæ occaſionis, ne id ſentiat, alio transferat: compertum enim eſt mutatione loci & abſentia amati, ardoris æſtum aut tolli aut certe minui: ut etiam affirmat Cicero *lib. 4. Tuſcul. quæſt.* Unde etiam Propertius *lib. 3. ad Cynthiam. Eleg. 21.*

Magnum iter ad doctas proficiſci cogor Athenas,
Ut me longa gravi ſolvat amore via.
Creſcit enim aſſiduè ſpectando cura puellæ,
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor.

Et paulo poſt:

Unum erat auxilium mutatis Cynthia terris:
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

In Jure Canonico integrum reperitur capitulum de mutatione loci, quod eſt *cap. valet. diſt. 81* ubi ſic ſcribitur: Valet interdum pro converſis pro ſalute animæ ſuæ mutatio loci: plerumque enim, dum mutatur locus mutatur mentis affectus: Congruum eſt ergo inde etiam corporaliter avelli, ubi quis illecebris deſervivit: Nam locus ubi quisque prave vixerit in aſpectu mentis opponit, quod ſæpe ibi quisque cogitavit vel geſſit. Quod & Ouidius *lib. 2. de remed. amoris.* expreſſit his verſibus:

Et loca ſæpe nocent, fugito loca conſcia veſtri
Concubitus: cauſſas illa doloris habent.
Hic fuit, hic cubuit, thalamo dormivimus illo,
Hic mihi laſciva gaudia nocte dedit.

Vid. Nevizan. in Silv. nuptiali *lib. 4. num. 88.*

XXIV. Et ultimum eſt *Patientia.* Quod ſi prædicta re- 76.
media omnia pro virili quis præſtiterit, & tamen uxor impudica fuerit alios que etiam appetat, quid amplius faciendum? illam ne aſſervabit, aut aliis aſſervandam dabit, ſive cuſtodes adhibebit, ſi quando is peregre proficiſci velit? Hoc quidem Hippocrates ad Abderitas iturus, Democriti curandi gratia, Dionyſio, epiſtola ad eum miſſa, quæ & nunc inter ipſius Hippocratis o- 77.
pera extat, ſcribit, uxorem interim dum peregrinaretur apud

parentes mansuram; precatur tamen illam, ut ejus mores observet, quo pudice degat; nec ob viri absentiam alios viros cogitet. Mulieres enim semper opus habere moderatore; Habere enim a natura lasciviam innatam, quæ nisi quotidie amputetur instar arborum, in materiæ multæ effusionem exuberare. Ego vero, *inquit*, amicum parentibus diligentiorem puto custodiendæ uxori. Neque enim velut illis, inest etiam huic benevolentiæ affectio, per quam sæpe umbra admonitioni obtenditur. In omnibus enim rebus prudentius est quod alienum est ab affectione, ut quod minime a benevolentia infringatur.

Sed incassum illi laborant, qui ita uxores asservari faciunt:
78. tum quia impossibile est illas, nisi velint ita custodire, quin peccent, illudantque & fallant maritos & custodes strophis ac dolis muliebrib9; tum quia natura comparatum est, ut in ea magis nitantur quæ vetita sunt, sicut Ovidius de mulieribus loquens lib. 3. Amor. Eleg. 4. canit:

Desine, crede mihi vitia irritare vetando,
Obsequio vinces aptius ipse tuo.
Vidi ego nuper equum contra sua frena tenacem
Ore reluctanti fulminis ire modo:
Constitit ut primum concessas sensit habenas
Frenaque in effusas laxa jacere jubas.

Mox sequitur:

Nitimur in vetitum semper cupimusq; negata;
Sic interdictis imminet æger aquis.

Huc etiam quadrat illud Terentianum in eunucho:

- - - - *Novi ingenium mulierum,*
Nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro.

Quod citat Lucas de Penna in *l.* 1. *col.* 1. *in fin. C. de mulieribus.* & illud ejusdem Terentii in Hecyra:

Viris esse adversas, æque studium est, similis est pertinacia.

Tum

Tum denique, quod ista custodia adulteros magis invitat, provocat & velut impellit ad expugnandam mulierum custoditarum pudicitiam, in idque omnes artes ac machinas adhibent. Non immerito igitur Theophrastus apud D. Hieronymum in Jovinianum, dicebat uxorem impudicam servari non posse, pudicam non debere; scribitque ipse Hieronymus: Illa vere pudica dicenda est, cui licet peccare si velit.

Hinc etiam Ovidius lib. 3. Epistol. Eleg. 4.

Dure vir imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis, ingenio quæq; tuenda suo est,
Si qua metu dempto casta est, ea denique casta est:
Quæ quia non liceat, non facit, illa facit.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est,
Nec custodiri, ni velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas,
Omnibus occlusis intus adulter erit.
Cui peccare licet, peccat minus: ipsa potestas
Semina nequitiæ languidiora facit.

Et Juvenalis, Satyr. 6.

Audio quid veteres olim moneatis amici:
Pone seram, cohibe. Sed quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est, & ab illis incipit uxor.

Et Martialis *lib. 1. ad Cæciliam Epigram. 41.*

Nullus in urbe fuit tota, qui tangere vellet
Uxorem gratis Cæciliane tuam,
Dum licuit: sed nunc positis custodibus, ignes
Turba futurorum est. Ingeniosus homo es.

Itaque anus illa Apulejana *lib. 9. Metamorph.* maritorum inefficaces diligentias appellat: & apud eundem Apulejum *eod. lib.* Philesiterus hac ipsa potissimum castitate & insignis tutelæ nimietate instinctus atque inflammatus, quidvis facere, quidvis pati paratus, ad expugnandam tenacem domus disciplinam, totis accingitur viribus.

Et fru-

79. Et frustra asservari uxores ostendit Historia de Phano quopiam, cui cum uxor esset parum spectatæ pudicitiæ, eamque haberet adulterii admodum suspectam, atrii fores sic occlusit, ut non nisi cum stridore & sonitu possent aperiri, ut adulter admissus custodes non falleret: verum cum illa per tegulas, minime scil. apertis foribus adulterum admitteret, vicini id rescientes per jocum dicebant, ἡ Φάνȣ θύρα Phani ostium Tiraquell. *leg. Connub. 16. num. 13.*

80. Quid igitur hoc casu faciant mariti, si nec asservari & custodiri uxores conducat? Nihil melius & prudentius hoc casu fecerit, si rejecta omni Zelotypia patienter id ferat nec se ipsum excruciet, cogitans nihil id ad suam culpam pertinere, multosque & maximos & laudatissimos viros in id infortunii genus incidisse, & cornigerorum Collegio adscitos, Es ist dieses die allergrösseste Gülde oder Zunfft/ worinnen Käyser/ Könige/ Fürsten und andere berühmte Leute seyn; Nihilque novi ipsi accidit, & habet Collegas quamplurimos.

Scribit Julius Capitolinus Marcum Antoninum Philoso-
81. phum, Imperatorem Romanum, qui sanctitate vitæ omnibus Principibus antecelluit, Faustinæ uxoris adulteria dissimulasse, tantumque abfuisse, ut de eâ ejusque adulteris supplicium ex lege sumeret, ut illos sibi non ignotos præ cæteris ad varios honores & Magistratus promoveret: & in his Tertullum, quem cum ea prandentem aliquando deprehenderat. Hic autem Marcus Antoninus ille est, quem leges nostræ consultissimum Principem vocant in *l. hereditas & l. ult. C. de test am. manum.* Virum providissimum atque religiosissimum *l. unum ex familia. §. ult. ff. de legat. 2.* rursumque alibi providentissimum & Philosophiæ plenum, *l. cum Syllanianum. C. de his quib. ut indign.* Faustina quoque ea est, de qua fit mentio, *in l. si Augustæ. ff. de legat. 2.* Tertullus item ut opinatur Tiraquellus *in leg. Connub. 8. num. 14.* ille est, ad quem JCtus tradit ipsum Marcum Antoninum scripsisse *in l. Divus in princ. ff. de Off. Præsid. & in l. apud hostes. ff. de captiv. & postlim. revers.*

82. Sic etiàm Paulus Eremita, cum haberet uxorem bona specie, eamq; in ipso facinore adulterii deprehendisset, nihil aliud, quam

quam tacite subrisit, jureque jurando affirmavit, se nunquam cum eâ concubiturum : ad Adulterum autem: Tibi, *inquit*, eam habeto, & hoc dicto in eremum abiit, ut ex Socrate *Tripart. Histor. l.* 1. *c.* 2. refert Tiraquell. *d. loc.*

Sic quoque Ægidis celebratissimi Lacedæmoniorum Regis uxor Timea adeo impudica fuisse dicitur & impudens, ut & coram ancillis filium, quem ex Alcibiade peperat, nomine adulterii appellaret, uti testatur Justinus *lib.* 5. & Plutarchus tam in vita ipsius Alcibiadis atque etiam in vita Agesilai; tum in libro de tranquillitate animi, ubi & id scribit : Ægidi non obstitisse, quominus vir clarissimus & maximus haberetur. 83.

Egregium de vindicta thori Conjugalis locum habet Scriptor Italicus Camillus Baldus *in libro cui titulus delle Mentile lib.* 1 *cap.* 38. ubi postquam tractavit quæstionem, Quid agendum Viro nobili, si castitatem uxoris suspectam habeat? hæc subjungit: In una nobilissimarum Italiæ urbium in ejusmodi casu à Nobilibus quibusdam Viris ita processum fuit: Scilicet ipse maritus præsumpto adultero per duos pariter Nobiles schedulam misit qua ipsum certiorem reddebat alterâ die hora secunda adventum ejus ante portam exspectaturum, se instructum uno comite, gladio & pugione, minitans se tunc facturum, ut coactus confiteretur crimen, ne se vixisse legibus Nobilis & Amici conformem, qualem se esse jactaret. Hi duo munus executi schedulam præsumpto adultero exhibuerunt, qui commonstrata Nobilibus schedula subjunxit: Rogo vos, referatis viro, qui mecum sibi negotium quærit, nil mihi cum ipso rei esse, imo quamvis fuerit, publico me munere prohiberi, quominus ei satisfacere queam? Edicat interim quid sibi velit, aut qvid deliquerim ego? tunc enim peracto munere veritatem faxo cognoscet: Idem non multo post officio renunciavit, atque domum suam concessit. Maritus autem Italiâ egressus eum ad duellum evocavit, quod cum variis elusionibus in longum extraxisset, tandem misere occisus fuit a marito, qui manu armatorum vicinos campos occupaverat. Quo peracto domum redux honorificentissimis muneribus a Principe suo ornatus fuit. Credo certe hoc consilium, quo Vir ille Nobilis usus est, multo prudentius 84.

esse eo, quod Mutius dedit. (Opinatur enim Mutius, oportere marito in ejusmodi casu nil dicere vel agere, unde constare queat scire vel suspicari nos quicquam de peccatis uxorum, sed tacite punire adulteras, & ita cum iis agere, ut egerunt illi nobiscum, secundum commune JCtorum proverbium; Qui fidem nobis non servat, nec ipsi servanda fides est,) Et hac occasione dicere non supersedebo, nimis impiam consvetudinem esse, velle occidere uxores propter tale commissum, quod nondum satis liquet, quodque vel ipse maritus sæpius commisit, cum impium sit sibi ipsi jus dicere, & actoris & judicis partes simul obire. Qvod si existat lex de adulteris, fiat legi satis, & qui æque peccat, æque puniatur, quoniam pœna Arithmetica ratione, non Geometrica exercenda est. Nec maritorum peccata, ideo quod fœminis perfectiores sint, minus puniri debent, fœminarum autem severius: cum hæ potius per naturam fragiles & lubricæ, misericordia magis dignæ sint. Neque vero dixerim illas pœnarum plane expertes fore, sed lege potius non ira maritorum puniendas, quam sæpe ut eas amoveant prætendunt. Satius igitur fuerit si Vir prudens domus suæ vitia tegat, nec id quod in sinu clam reconditum habet, capite palam circumferat, dissimulans se quicquam eorum nosse, quamvis suis oculis ipse viderit, idque coram muliere potissimum, Interim sagaciter omnem ipsi occasionem & omnia remedia præscindat peccandi iterum, & cum adultero ita procedat, prout ipse Deus & recta ratio ipsi suggesserit, ad faciendum id quod par est & viro honesto convenit. *Hæc prælaudatus Camillus Baldus dict. loco.*

85. Facetos hac de re versus refert Nevizanus in sua Sylva Nuptiali quos coronidis loco huic capiti subnectere placuit; ubi juvenes irridentes senes inducit:

Cornigerum canimus populum, qui cornibus aptis
Jam nomen toto sparsit in orbe suum.
Bacche mihi faveas, Faunique favete bicornes:
Et quicunque sua cornua fronte gerit.

Non

Non tamen hæc habuit propriis virtutibus arma
Ne foret absque armis, nupta puella dedit.
Regnum nobilius populo numerosius omni,
Non minus & toto corniger orbe tenet.
Nam quacunque patet tellus lex Julia dormit:
Et solus vigilat cornua quisquis habet.
Sed si cornigeri qui sunt, numerumve requiras,
Ante scias qui, quot sint, quibus uxor erit.
Crede mihi, nam vera cano, quicunque mariti
Nomen habet, summa cornua fronte gerit.
Non credis nam forte tibi non ducitur uxor,
Duc, & me cernes nil nisi vera loqui.
Tuncque tuum subito ducta speculabere magnis
Uxore ornatum cornibus esse caput.
Sæpe timens uxor tibi desint arma, parabit.
Quam tecum veniat cornua longa prius.
Esse virum patitur nunquam sine cornibus uxor,
Hæc modo non desint, dote carere volet.
Cetera vult potius proprio quocunque deesse
Cornua quam desint provida nupta viro.
Solo hæc cura placet sola est intenta labori,
Unde queat quo vel cornua habere modo.
Templa petit non ut veneretur numina Divum.
Quæritat ut crescant cornua longa viro.
Sedula per totam non una emittitur urbem,
Ut nova vendentem cornua quærat anus.
Sæpe dabit socio nullum cornutus habenti:
Nec privatus erit cornibus ipse datis.
Atque aliis tradet sociis, (mirabile dictu)
Qui penitus totus cornibus ipse caret.
Credere quid dubitas? experto crede Roberto,
Cornibus ipse carens cornua multa dedi.

Regula fallit in hoc certè quibus, illa, caremus
Nostris quod socius non dare posse refert.
Hoc quoq; non minus est mirandum fronte latere
Cornua, difficile est noscere si quis habet.
Dura cutis prohibet, geminus de vertice ramus
Prodeat, hoc propter cornua nulla patent.
Non tamen hoc dubita sine cornibus esse maritum,
Quanquam, nam lateant, fert tamen illa licet.
Namq; duo tanquam contradictoria sunt hæc
Ut Conjux sis & cornua nulla geras.
Hæc tibi cum primum nunc tradita noveris arma:
Qui tibi præstiterit cornua redde cito.
Ingrati nomen, fugias si reddere possis,
Etsi non poteris reddere, posse cupe.
Immerito vinci nunquam patiare ferendo:
Ceperis & quanta cornua plura dabis.
Exemplum a tellure petas: quam acceperit omnis,
Terra ferax semper reddere plura solet.
Ne rogo despiciat sortitus cornua quisquam:
Gaudeat & potius cornua quisquis habet.
Cornigeri gaudete precor portare coronam
Vos talem digni, numina vestra cano.
Vos estis lunæ (modo non impleverit orbem)
Persimiles, etiam cornua luna gerit.
Vos etiam signo quod Titan Mense Novembri
Ingreditur, similes novimus esse magis.
Munere nam data sunt uxoris signa coronæ
Instar, quæ similes regibus esse facit.
Vos fore prædixit reges natura, sed ipsa
Tam grandes fieri sors mala sæpe negat.
Ferrea qui facitis desistite tela magistri:
Telorum species extat in orbe nova.

Inge

Ingeniosa suo Conjux dat arma marito
Quælibet, ut quo vult hâc ope tutus eat.
Cornutus quocunq; ierit non pergit inermis,
Ut possit tutus quolibet esse loco.
Magna cano: quoniam spatiosi temporis ullo
Contigerit superas vos habitare domus.
Consurgent superi cernentes sede coronas,
Cedet ubique Deus, cedet ubique Dea.
Sed si fors eadem, quæ reges esse negavit,
Sedem forte poli vos habitare reget.
Non vobis metuenda, manet vos regia Ditis
Cornigeris blandus corniger esse solet.
Cornibus his igitur quidnam secure timebis?
Dic mihi quæ numerum maxima turba dices?
Ecce tibi in terris blanditur tota juventus:
Uxoremque tuam te magis omnis amat.
Si linquens terras etiam conscendis Olympum,
Quilibet ex superis cedit honore tibi.
Te quoque Tartareas ieris si denique sedes,
Suscipiet Te Dis in sua regna libens.
Tanto cornigerum numero quod regia Ditis.
Quo cœlum pateat, totaque terra puto.
Cornua vel recipit vel dat quicunque sodali,
Est aptus Veneris dulcia castra sequi.
Sæpe putans etiam solum dare cornua, multum
Propter & id gaudens solus utrumque facit.
Parcite cornigeri faciant sic carmina finem,
Ingenium superant cornua vestra meum.
Imperium sensit, reges sensere potentes
Cornua, sic qui nos frontibus arma gerunt.
Hæc igitur cuncti veneremur cornua: quæ qui
Evadent, solos arbitror esse Deos.

Et subdit Nevizanus *dict. loc.* unico verbo respondere potuisse, & vos similes exspectatis honores, si sustentaculum senectutis & conservationem specierum volueritis: quia cedimus inque viam præbemus crura sagittis, & adulter quod fecit, exspectet, vel prout juvenibus corrigentibus senium: quia nisi ipsi juvenes moriantur, ad illos limites & ætatem incedere oportet: semetipsos ergo derident; etenim plures sunt cornuti in herbis, quam Canonici in verbis.

CAPUT VII.

De Indiciis ex quibus prævaricatio tori Conjugalis & cornigerium vel probari vel præsumi potest.

SUMMARIA.

Indicia ex quibus adulterium præsumitur, non est imaginaria & praeceps Zelotypia. n. 1.
Justina a marito ex stulta quadam Zelotypia interfecta, 2.
Rex Cotys ex Zelotypia uxorem interemit. 3.
Zelotypia fugienda. 4.
Antiqui Romani non fuerunt Zelotypi. 5.
Incolarum insulæ Guineæ modus probandi adulterium. 6.
Non vanis suspicionibus judicandum sed indiciis opus est. 7.
Indicium quid. 8.
Indicium quotuplex. 9.
Indicium certum est, si inventi sint rem in re habentes. 10.
Item si maritus elapso anno absfuerit, & domum reversus uxorem gravidam invenerit 11.
Si ob morbum officia maritalia præstare non potuerit, uxor tamen gravida facta sit. 12.

Si quis

Si ut

Si uxor amasio mariti annulum pronubum dederit. 41. *Si juvenis uxori non invitæ labium inferius digito percutiat.* 43.

DIximus præcedenti capite de remediis quibusdam, quibus aliquis se contra cornigerium aliquo modo præservare, vel saltem si illa remedia omnia pene inutilia essent, tandem saluberrima illa herba patientia huic malo mederi possit. Jam vero hoc capite de signis quibusdam & indiciis, ex quibus maritus cornua sibi pullulantia cognoscere possit, agemus.

1. Et sumuntur illa non ex stulta & imaginaria quadam præsumptione & præcipiti Zelotypia, dum uxores habent castissimas & ab omni impudicitia alienissimas & tamen cornutos se esse fingunt & volunt, uxoribus suis mala multa ingerentes atque insonti alicui, cui ne quidem per somnium in mentem venit ipsius uxorem cucurbitare, mortem minitantes, qualem præcipitem stultum novi, qui ex itinere redux, in castissimam suam uxorem a teneris honestati & pudicitiæ assvetam, & honeste vitam degentem, ex impuro suo & obscœno ingenio illam judicans & cum Pædagogo suo blanditiis invicem lusisse suspicans, furibundis & importunis dicteriis & scommatibus invectis Pædagogoque simplici alias & pio homini evaginato gladio mortem minitans, id quod etiam diaboli instinctu, si iste domi fuisset, in actum deduxisset, indignus profecto tali honesta fœmina, dignusque potius ut caput ejus sandalio commitigaretur, vel Anticyras mittatur, ut helleboro purgetur: Man solte solchen Kerl nach Mohlheim schicken/ daß ihm der Jecken, allda gestochen werde/ uti habet adagium Germanicum.

2. Hujusmodi fatui exemplum refert Tiraquellus *in Leg. Connubial. 16. num. 5.* in Justina nobilissima puella Romana, puellas ætatis suæ forma longe supergressa, quæ cum juveni cuipiam nuptui esset a parentibus tradita, ob solam ejus pulchritudinem in suspicionem marito venit, qui candidissimæ uxoris cervicem conspicatus, inclinantis se ad exeundum calceum furore ex Zelotypia accensus, teneram puellam, novamque conjugem jugulavit, cujus etiamnum extat illud Epitaphium:

Immitis

Immitis ferro secuit mihi cella maritus,
Dum propero nivei solvere vincla pedis.
Durus & ante torum quo nuper nupta coivi,
Quo cecidit nostræ virginitatis honos.
Nec culpa meruisse necem, bona numina testor,
Sed jaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo Justinæ, discite patres,
Nec nubat fatuo filia vestra viro.

Cotys quoque Rex Thraciæ, cum suæ uxoris aliquando Zelotypus esset, suis ipsius manibus eam, a pudendis incipiens dissecuit, ut ex Theopompo rerum Philippicarum recenset Athenæus *lib. 12. cap. 14.* 3.

Quocirca hæc furiosa ægritudo fugienda est, cum nulla ex animi perturbationibus vehementior sit, ut quæ mentem, si quid aliud perturbet & veluti eripiat & in furorem adigat, atque in neces mutuas & aliorum armet impellatque. Id quod etiam Sapientissimus Regum Salomon prospiciens *Proverb. 6.* Zelus ait, & furor non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione bona plurima. Item in Ecclesiastico *cap. 40.* Sed & præterea ea affectio corpus ipsum corrumpit, labefactat, convellit & senectutem accelerat, uti ibidem *cap. 30* dicitur: Zelus minuit dies, & ante tempus senectutem adducit. 4.

Et his forsitan rationibus modi antiqui illi Romani, cum ii ex agro sive peregre domum redirent, qui uxores domi reliquerant, adventus sui nuncios præmittebant, uti refert Plutarchus *Problem. Romanor. cap. 9.* ex quo mariti significabant se Zelotypos non esse: Nam qui eo morbo vexantur, uxores in facinore deprehendere omnibus modis student; Ideoque nullo præmisso nuncio insperati domum ingrediuntur, Atque etiam ut omnem hujus teterrimi affectus occasionem effugiant, nolentes scil. si quid forte uxores turpe admittant, id rescire. 5.

De Incolis Gvineæ peculiarem modum probandi adulterium uxoris apud ipsos usitatum refert Christoph. Arnold in den 6.

auserlesenen Zugaben auf des Abraham Rogers Indianisches Heydenthum *cap. 36. in notis. p. m. 938* his verbis: So ein Weib Ehebruch begangen/ und der Mann dessen keinen gewissen Bericht haben kan/ so gibt er ihr Saltz zu essen mit Beschwerung des Ferisso (welches ihr Abgott ist) weiß sie sich gerecht/ so nimt sie solches an; wo aber nicht so weigert sie sich dessen/ umb des Eydes willen/ damit sie ihr Abgott straffen möchte.

7. Non itaque his vanis suspicionibus judicandum, sed cum hujusmodi facinora occulte plerumque & abdite exerceantur, & probatu sint difficilia, directeque specifice, ac vere probari non possint, *l. consensu. 8. §. servus etiam. 6. C. de repud.* Mascard. *de probat. concl. 57. n. 3. vol.* 1. Kirchov. *commun. opin. cent.* 1. *concl. 5. vers. adulterium.* indiciis hic opus est, quæ a JCtis præsumptiones & conjecturæ appellantur, & ab his probatio petenda; Menoch. *Consil. 31. n. 18. & 19 vol. 1. & de A. J. Qu. lib. 2. cas.* 116. Mascard. *de probat. conclus. 57. n. 6. & 7.*

8. Est autem indicium conjectura ex probabilibus & non necessariis orta, a quibus potest abesse veritas, sed non verisimilitudo, & quæ quandoque judicantis mentem ita perstringit, ut cogat judicis conscientiam secundum eam judicare. Bald. *in l. non hoc. sub num.* 1. *vers. est enim indicium. C. unde cognat.* Farinac.
9. *in prax. crim. lib.* 1. *tit. 5. qu. 36. n.* 28. Et est indicium aliud certum & indubitatum, aliud vero incertum & semiplenum. Indicium certum & indubitatum est, demonstratio rei per signa sufficientia, per quæ animus in aliquo tanquam in proprio existente acquiescit & plus investigare curat, secundum Baldum *in l. ea quidem. sub num. 8. C. de accusat.* Mascard. *de probat. lib, 1. quæst. 15. num* 11. Indicium vero dubitatum & semiplenum est præsumptio fortiter movens animum ad aliquid credendum vel non
10. credendum. Mascard. *d. loc.* Farinac. *prax. crim. d. l. n.* 38. Hujusmodi indicium certum & indubitatum est, si maritus aliquem cum sua uxore in ipso naturali & reali coitu deprehendat, Kirchov. *commun. conclus. cent. 1. concl. 5.* Mascard. *de probat. conclus. 57. num. 5. vol. 1.* Hujusmodi etiam indicia certa sunt ea, quæ ex natura dependent, & rem propositam ex naturalibus princi-
11. piis necessario probant. Tale indicium est, si maritus elapso

jam

jamanno abfuerit & domum reversus uxorem repererit prægnantem. *Gloss. & Canonistæ in can. dixit. 3. 2. q. 1.* Felin. *in c. præterea. n. 3. v. rb' de testib.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præs. 41. num. 4. 5. & 6.* ubi ait hanc præsumptionem adeò urgentem esse, ut dici debeat probatio concludens, quæ operari debet, ut non solum mulier perdere debeat dotem, sed etiam puniri possit pœna L. Juliæ de adulteriis. Tale quoqve indicium est, si maritus tanta corporis 12 valetudine adversa laboraverit aliquandiu, ut uxori suæ debitum Conjugale præstare non potuerit, ipsa tamen interim gravida facta fuerit, *l. filiam 6. ff. de his qui sui vel al. jur. sunt.*

Sunt præterea & illa certa indicia, quæ non a naturalibus, ut præcedentia, sed ab humanis principiis lege & ratione humana probatis nascuntur, quæ a JCtis præsumptiones juris & de jure appellantur, *Menoch. de præsumpt. lib. 1. qu. 3. n.* 8. Tale indi- 13. cium est; Si maritus illi, quem cum uxore sua suspectum habet, adhibitis bonæ famæ testibus denunciaverit, ut a colloquio & conversatione occulta uxoris suæ abstineret, ipse autem furtivos istos congressus ad eam non vitet. Et est hæc adulterii præsumptio Juris & de jure, potestquè adulter ille pœnæ capitali subjugari. *Novell. 117. cap. ult. & Authent. Si quis ei. C. ad L. Jul. de adulter. Everhard. in Topic. legal. in loco a verisimili in fin.*

Sunt etiam verisimilia & probabilia indicia, ex quibus ple- 14. rumque adulterium arguitur; non semper, & ubique & ob id non certa, sed veluti certa appellantur indicia, *l. milites. 8. §. oportet C. de quæstion.* unde non ad condemnationem sed ad torturam rei proficiunt, uti docet Matthesilan. *sing. 118.* & Menoch. *de præsumpt. lib. 1. qu. 97. num. 25. vers. primo hac ratione.*

Hujusmodi indicium est, si maritus aliquem solum cum u- 15. xore sua sola secreto & abdito in loco invenerit *c. literis. 12. X. de præsumpt.* Mascard. *de probat. vol. 1. conclus. 59. num. 10.* Farinac. *in tract. de delict. carn. qu. 136. cap. 1. num. 24. & in eadem quæst. cap. 4. n. 148.*

Tale item indicium & præsumptio sumitur ex risu & joco 16 inter uxorem & alium virum vel juvenem. Hippol. Riminald. *Consil. 274. n. 9. & 19.* Bertazol. *Cons. 273. n. 11. & 12. lib. 2.*

17. Item si uxor cum alieno viro vel juvene spatiari visa fuerit per nemora & vias occultas, luxuriosoque tactu & amplexu lascivo circumplicari *c. ex literis. 12. x. de præsumpt.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl.* 453. *num.* 16. Farinac. *de delict. carn. d. quæst.* 136. *n.* 153. & si vir vel juvenis manus ipsi in papillas immiserit, Bald. *in c. tua. de procur. alleg. cap. 1. & ibi gloss. quib. mod. feud. am.* Hoc tamen limitat Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 59. *num.* 16. in Clerico amplexante mulierem, cum is non præsumatur id caussa adulterii facere, sed potius caussa benedicendi, vel ad pœnitentiam cohortandi, *gloss. in cap. adsit* 11. *qu.* 3. & Specul. *in tit. de præsumpt. in pr.* Sed a tali benedictione defende nos Domine.

18. Item: Si uxor & juvenis visi fuerint cubiculum ingredi, & ex eo post certum tempus egredi unus post alterum, & ipsa uxor conspecta fuerit cum rubore faciei & crine soluto & tota horrida, incompta, inornata & inculta. Mascard. *de probat. vol.* 1. *concl.* 453. *n.* 18. *in fi. n.*

19. Item, si uxor cum viro alieno reperta fuit in cubiculo clauso, ad coitum disposito, puta, si caligas habuerit solutas, ipsaque uxor ostium aperire recusaverit, Mascard. *d. loc. concl.* 59. *n.* 19.

20. Item: Si quis audierit uxorem cum alio commisceri carnaliter, sed non viderit, quia impediebatur conspectus, asseribus, cortina, pallio, noctis obscuritate, audivit tamen voces eorum sibi notas, anhelitus jucundos, veneris oscula & verba apta ad ipsam rem. Mascard. *d. loc. concl.* 453. *n.* 9.

21. Item: Si uxor alicujus sola & nuda cum viro alieno solo & nudo visa sit in eodem lecto cubare, *c. ex literis. verb. de præsumpt. can. nec aliqua* 2. 7. *q.* 1. ubi hæc Cypriani refertur sententia: Certe conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitentur. Mascard. *de probat. d. conclus.* 59. *n.* 8. Farinac. *d. qu.* 136. *n.* 24.

22. Item: Si uxor & uir alienus se osculantes reperti fuerint, sec. Abb. *in cap. tertio loco. n. 4. vers. vel ipsam osculantem. X. de præsumpt.* Nevizan. *in Sylv. nupt. lib. 4. § est nubendum num.* 77. & 78. ubi tamen dicit, hoc non procedere apud Gallos, qui confisi de honestate mulierum suarum, semper arbitrantur eos osculari

causa

causa bonæ & honestæ amicitiæ. Bertazol. *Consf. 20. n. 5. lib. 1.* ubi pariter declarat. nisi regionis consvetudo osculum admitteret.

Quod tamen multi Doctores & novissime Sanchez *de matrimonio lib. 10. disp. 12. qu. 3. n. 45. in fin. & seqq.* non probant, ex solis osculis non induci violentam adulterii suspicionem, nisi alia concurrant adminicula. Quod si tamen osculum luxuriosum cum lascivioribus amplexibus, & positione brachii ad collum & mammillarum tactu datum sit uxori, non invitæ nec resistenti, & quidem in locis secretis ad carnalem commixtionem aptis, præsumptio inde oritur verisimilis de adulterii crimine. Farinac. *de delict. carn. tit. 16. qu. 136. n. 129. & multis seqq* 23.

Item, Si uxor juveni literas amatorias miserit & ab ipso rursus aliquas acceperit, per *l. non epistolis. C. de probat.* Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 64. n. 10.* Sanchez. *de matrim. lib. 10. tit. de divort. disp. 12. qu. 3. num. 48.* ubi relatis Doctoribus contrarium sentientibus, concludit: quod si literæ amatoriæ non habent implicitam confessionem secutæ fornicationis non inducant fornicationis violentam præsumptionem: si vero in illis scribens fateatur fornicationem, talis confessio tanquam extrajudicialis, non faciet nisi indicium ad torturam. 24.

Item: Si maritus juvenem in domo sua occultatum reperiat, vel ab alio repertus fuerit: Verum Bartolus *in l. 3. num. 1. ff. de furt.* existimat ex eo, si juvenis in domo occultatus reperiatur, non esse simpliciter manifestum indicium: Sed Farinac. *de del. carn. d. quæst. 136. n. 162. & 163.* hoc ita declarat & procedere existimat ut ab ipsamet uxore, vel alia quadam persona, jussu tamen uxoris occultatus fuerit: potuit enim iste juvenis domum illam ingredi uxore ignorante & ibidem se occultare. Cæterum si sciente vel etiam ignorante uxore occultatus sit & inventus, ex qualitate & conditione utriusque tum juvenis tum uxoris præsumptio facienda est. Dec. *in c. tertio loco num. 59. x. de probat.* Mascard *de probat. vol. 1. conclus. 61 n. 1. in fin.* 25.

Item si uxor cum alieno viro vel juvene communi balneo utatur, *gloss. in can. non oportet. 80. distinct.* Mynsing. *Resp. 1. n. 22. decad. 1.* Cum enim adulterii indicium sit solam & nudam cum alieno

alieno viro nudo in uno eodemque lecto cubare, uti supra dictum, utique etiam verisimile indicium erit; si nuda cum alieno viro nudo, communi lavacro & balneo utatur: cum nudam inspicere fœminam alienam in balneo se lavantem, desiderium concubitus excitet acre, quemadmodum videre est ex exemplo Davidis & uxoris Uriæ, 2. *Reg. cap.* 11. item Susannæ & duorum senum apud Danielem *cap.* 13. & quia lavacrum uxoris cum viris extraneis & alienis, causa sit divortii, *l. jubemus.* 11. §. *inter culpas, C. de repud.* certe etiam pro indicio adulterii verisimili habendum.

27 Magna apud Priscos Romanos in balneis erat verecundia, quæ non passa est, ut puberes filii cum parentibus lavarent, uti hoc testatur Valer. Maximus *l.* 2. *c.* 1. his verbis: nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris quidem generi non lavantur. Et promiscua non fuerunt balnea, sed viros sua a mulieribus discreta separataq; habuisse ex M. Pollione Victruvio *l.* 5. *c.* 20. refert Dempsterus *in Antiquit. Roman. Rosini ad c.* 14. *l.* 1. *p. m.* 142. *sub lit. E.* Et ex Romuli I. Romanorum Regis sanctione, criminis capitalis reus habebatur, qui se nudum a fœmina videri passus fuisset, uti refert Plutarch. *in vita Romuli.* Sed & lex infamia notari jubet eos, qui mulieres in balneis ad vestiment custodienda habuerint conductas, *l. athletas.* 4. §. *ait Prætor. ff. de his qui not. infam.* quanto gravius igitur mulctabuntur, qui communia cum mulieribus lavacra habuerint? quod in homine Christiano nequaquam ferendum, cum ut Canon ait, etiam apud Gentiles prima hæc sit reprehensio, *can. non oportet* 81. *distinct.* Quinimo non placuerunt Hieronymo lavacra in adulta virgine, quod etiam sola seipsam nudam inspiciens, debeat erubescere. Unde si uxor ita luxuriosa sit, ut etiam cum viris voluptatis occasione lavetur; licentia data est viris, mittere eis repudia, & lucrari dotes, atque ante nuptiales donationes. *Novell.* 22. *de Nupt. c. si vero etiam.* 16. & *Novell.* 117. *ut licet matr. & aviæ c. quia vero plurimas.* 8. *circa fin.* sicuti & maritus cum alienis lavans uxoribus donatione propter nuptias privatur, *d. l. jubemus* 11. §. *inter culpas C. de repud.* Nam gravissima est Gygis apud Herodotum sententia: Mulier exuta tunica, ipsum simul pudorem exuit.

Item:

Item, Si uxor nocturno tempore alienos viros vel juvenes in proprias ædes admittat : Adulterium enim nocturno vagari tempore vetus est diverbium; estq; nocturnum tempus suspectissimum aptissimumque ad committenda ejusmodi facinora, Bald. in *l. neq; natales. in princ. C. de probat. & in l. fin. in fin. ff. de hæred. instit.* Nec hic ulla differentia, an admittat honestos viros, an inhonestos: eadem enim oritur exinde præsumptio, etiamsi Clericos nocturno tempore in proprias ædes excipiat. Abb, *in c. 1. ad f. vers. ex hoc infero de Cleric. non resid. Dd. in l. non hæc. n. 11. C. unde legitimi.* Menoch. *de præsumpt. lib. præs. 41. n. 9. vers. extenditur hæc conjectura.* cum legalitas personæ non excuset ab hujusmodi inhonestate, Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 984. num. 5.* violentior tamen præsumptio est, si inhonestiores magisque effrenos adolescentes intromittat Bald. *in l. neq; natales. C. de probat.* ubi expresse dicit, meretricem illam præsumi, quæ nocturno tempore in proprias ædes alienos viros admiserit. Ripa *in tract. de nocturno tempore c. 36. ubi plura per tot & cap. 37.* 28. 29.

Item : Si uxor larvata cum juvenibus incedat : Qui enim personati incedunt, nolentes se detegi, propria conscientia se ipsos aperte nihil boni acturos produnt. Oriuntur enim ex illis larvis innumerabilia probe scelera : nam qui male agit, odit lucem, & cognosci non vult, & mentitur sæpe & faciem & sexum, ut solent fures & luxuriæ dediti. Et refert Petr. Gregor. *in Syntagm. jur. univ. lib. 39. cap. 11. num. 2.* Franciscum I. ejus nominis, Galliarum Regem. anno 1539. d. 9. Maii prohibuisse; ne quis armatus, potissimum larvatus, per itinera, civitates, oppidaque incederet, proscriptione bonorum indicta in eum, qui hoc attentasset, parte media ærario Regio, altera donatori decreta, & pœna corporali & pecuniaria arbitrio judicis relicta. Pariterque de Senatu Parisiensi, qui die 25. Julii anno 1551. Larvas vendi ferrique a quoquam interdixit. Hinc mulier, quæ noctu larvata cum juvenibus incedit, magnam præsumptionem adulterii facit, uti tenet Bajard. ad Clarum *in §. adulterium. num. 38. vers. & de præsumptionibus*, nisi forte aliud suaderet inveterata consvetudo, uti 30. 31.

voluit

voluit Claud. Bertazol. ad consilia patris sui *Cons. 311. sub num. 2. vol. 2.* & Polydor. Ripa *de nocturn. tempor. cap.* 164.

32. Item: Si uxor invito marito abnoctarit. Abnoctatio enim uxorum invitis viris sine justâ caussa, aliquid commissæ vel committendæ turpitudinis præ se fert. Felin. *in §. præterea n. 3. vers. & idem si pernoctavit extra domum, de testib.* Mascard. *de probation. vol. 1. concl. 60.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præs. 41.* Et si diutius abnoctaverit mulier etiam honeste degens, virum saltem suum exspoliat quasi possessione thori. Bald. *Consil. 221. vers. secundo vero casu vol. 2.* Polyd. Ripa *de nocturn. temp. cap. 168. & cap. 36. num. 28.* Quod tamen limitatur, ut non procedat, quando vir illam extra domum ejecerit, & illa pernoctaverit apud propinquos, vel etiam apud extraneos: quia cum sibi ipsi caussam dederit, mulier excusatione digna est, nec poterit ex hac pernoctatione dare libellum repudii. Gravett. *Consil. 205. n. 50. vers. rursus illa lex.* Mascard. *dict. conclus. 60. n. 2.*

33. Item: Si uxor cum viro alieno loco & horis rei venereæ commodis locuta fuerit; vel etiam assidue cum alieno viro confabuletur. Farinac. *de delict. carn. d. q. 136. n. 113. & 115.*

34. Item: Si uxor absente viro convivia instruat, ad eaque alienos viros vel juvenes invitet & excipiat, & hæc vicissim illorum convivia visitet. *gloss. In l. quod ait l. 23. in verb. in ipsis rebus. ff. ad L. Jul. de adulter.* Blanc. *in tract. de indiciis. num. 69.* Farinac. *d. quæst. 136. n. 124.* Item: Si studiosorum musæa visitet, cumque illis intrita, saccharata & uvas passas comedat, vinoque bono, interdumque etiam tripudio cum illis delectetur, eorumque gremiis insideat.

35. Item: Si uxor alicui juveni munuscula & jocalia, e. gr. cervicalia, strophiola, argenteos stilos, & alia id genus mittat. Campeg. *tract. de testib. reg. 384. vers. quarto probatur.* Ern. Cothman. *Resp. 16. n. 88. & seqq. vol. 3.* Farinac. *d. qu. 136. n. 125.*

36. Item: Si uxor in domo lenonis vel lenæ cum maribus alienis converssetur. Crotus *Cons. 413. num. 31. & in fin.* Farinac. *d. quæst. 136. num. 186.*

Item: Si uxor res suas collegerit & in alium locum transtu-
37. lerit, ibiq; Amasius ipsius adventum ejus præstolatus fuerit. Gra

vis

vis enim suspicio contra eum surgit, qui rebus etiam propriis collectis fugam adornat, *arg. l. ab hostibus. 15. §. ult ff. ex quib. causs. major. l. 1. & 2 ff. de migrand.* Cothman. *Resp. 16. num. 65. & 91. vol. 3.*

Item: Si uxor sibi ab amasio scriptas literas per tabellarium marito redditum iri intelligat, ipsum tabellarium instanter ac per Deum cum præmiorum promissione & lacrimarum effusione rogaverit, ne id faceret, sed eas supprimeret, igneque combureret: hæc enim res non levem suspicionem mentis male sibi consciæ parit. *c. consuluit. x. de off. delegat.* Cothman. *Resp. 16. n. 64. vol. 3.* 38.

Item: Si uxor, cum ei maritus scriptas ab amasio literas prælegeret, valde contremuerit, trepidaverit, vultumque suum colore mutaverit. Trepidatio enim & coloris faciei mutatio indicium præbet culpæ trepidantis, *l. de minore. 10. §. plurimum. ff. de quæstionib.* Cothman. *d. Resp. 16. n. 65.* 39.

Item: Si uxor Scribam ac amanuensem mariti delicatius quam alios ministros & famulos vel ancillas tractaverit, ipsique sigillatim ova præparaverit, gallinas, pipiones, & carnes assatas præbuerit, vinumque aliumve potum meliorem exhibuerit, uti notat *gloss. in l. quod ait lex. 23. in verb. in ipsis rebus. ff. ad L. Jul. de adulter.* Hippol. Riminald. *Cons. 274. num. 28. lib. 3.* Cothman. *d. Resp. 16. num. 70.* 40.

Item: Si uxor adolescentem aliquem sibi familiarem, lasciviore compellatione insolito more suum nominaverit filium, aut fraterculum, simulque in ipsius amplexum irruerit. Compellationes enim & amplexus lasciviores suspecti sunt in Conjuge. Abb. *in c. præterea. n. 7. x. de testib.* Hippold. Riminald. *dict. Cons. 274. n. 9.* Cothman. *d. Resp. 16. n. 71. vol. 3.* 41.

Item: Si uxor cuidam amasio suo annulum pronubum mariti utendum dederit; annulus enim pronubus arctissimi inter Conjuges fœderis atque vinculi, flagrantissimique amoris tessera est, & pignus indissolubilis societatis conjugalis, *c. illud. 11. vers. mulier. x. de præsumpt. c. tenor.* ibique Cujac. *x. de sentent. & re judic. & l. si donatæ. 6. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor.* debetque jugiter esse in manu uxoris promnemosynon, ut recordetur se eo esse viro 42.

comparatam. *Zœſ. Conſil.* 11. *n.* 66. *& ſeqq. lib.* 2. Hotomann *Conſ.* 39. *num.* 16. *&* 17.

43. Item: Si juvenis quispiam uxori non invitæ nec reluctanti labium inferius digito pulſet, ſchläget derſelben ein Brümmichen: Talis enim tactus & actus petulans velut impudicitiæ ludus eſt, quem uxor aliena honeſta, pudica & caſta, minime perpeti ac tolerare debet. Bald. *in c. tua. n.* 4. *x. de procuratorib.* Hieron. Gratus *Reſp.* 115. *n.* 9. *lib.* 1. Cothm. *Reſp.* 10. *n.* 79. *vol.* 3.

CAPUT IIX.

De Accuſatione & Actione competente marito, tam adverſus uxorem prævaricantem, quam cucurbitatorem.

SUMMARIA.

Adulterium eſt crimen publicum & poteſt id accuſare quilibet e populo. num. 1.

Maritus *& conjuncti in accuſando præferuntur extraneis.* 2.

In Francia ſolus maritus & ſponſus de præſenti adulterium accuſat. 3.

Jure mariti & jure viri accuſare adulteram quid? 4.

Accuſatio adulterii jure mariti competens intra 60. *dies fieri debet.* 5.

Niſi maritus Reipub. cauſſa abfuerit. 6.

Poſt 60. *dies accuſatio competit etiam extraneis, ſed intra quatuor menſes utiles.* 7.

Qua-

ACcusationem & Actionem jam contra uxorem marito cornua imponentem pertractare volentes, conveniens erit rem suis nativis coloribus depingere & scapham appellare scapham: ac propterea uxorem hujusmodi prævaricantem indigitare adulteram, & cucurbitatorem adulterum vocitare exinde facile patescet, qua ratione maritus hoc casu uxorem suam adulterumque accusare, actionemque contra ipsos instituere possit.

1. Et primo quidem sciendum adulterii reos & reas posse accusare quemlibet de populo, cum adulterii crimen sit publicum *l. 1. ff. de publ. judic. & §. item* Lex *Julia. Institut. ibid.* ad cujus accusationem quilibet de populo admittitur, *§. 1. Inst. d. t. l. palam. 43. §. Senatus ff. de rit. nupt. l. 4. §. 1. C. de hæretic. & Manich.*

2. Si tamen maritus adulteræ adsit, & conjunctæ proximæque personæ, e. gr. pater, frater, patruus, avunculus, tunc hi extraneis præferuntur, cum maritus genitalis tori justus sit vindex, & necessarios proximosque verus dolor ad accusandum impellat, *l. quamvis. 30. C. ad* L. *Jul. de adulter.* Maritus autem patri præfertur, cum ille propensiore ira & majori dolore credatur accusationem executurus. *l. 2. §. si simul. ff. d. t.* post maritum & patrem, si illi accusare negligant, admittuntur cæteri necessarii, & ex his maxime ille, quem judex accusatorem justiorem constituerit, *d. l. quamvis. 30. in princ.* C. *ad* L. *Jul. de adulter. & d. l. 2. §. ult. ff. eod.* Et si desunt necessariæ proximæque personæ, aut illæ accusare nolunt, admittuntur etiam extranei, uti notat *gloss. in l. 4. ff. d. tit. & in d. l. quamvis. 30.* ibique Bartol. Salicet. & Azo.

3. In Francia solus maritus, dum ille vivit, adulterium accusat, ut & solus sponsus de præsenti, non alius aliquis, ita ut nec ex officio adversus adulteram vel adulterum procedere queat, uti refert Petr. Barsceba *ad l. 2. part. 1. in princ. n. 112. ff. solut. matrim.*

4. Maritus autem jure mariti & jure viri accusare dicitur uxorem adulteram & adulterum *d. l. 2. §. 1. l. inter. 6. § ult. l. si uxor. 13. in princ. & in §. si minor. 8. l. is cujus. 14. §. ult. ff. ad* L. *Jul. de adult.* Et est jure mariti accusare adulteram & adulterum jus aliquod præcipuum, quo quis in accusatione adulterii aliis intra certum

tempus

tempus præfertur, *d. l. 2 §. penult. l. 4. §. pen. & ult. ff. ad* L. *Jul. de adulter. d. l. quamvis. in princ. C. eod.*

Et quidem maritus si jure mariti uxorem accusare velit, sexaginta dies utiles ipsi computantur, & intra illos 60. dies seu duos menses a die divortii computandos, nulli extraneo, sed tantum marito aut Patri adulteram accusare licet, speciali prælationis jure, *l. 4. in princ. & §. 1. l. miles. 11. §. sexaginta dies. 6. l. is cujus ope. 14. §. pen. & l. seq. in princ. §. si negaverint. 5. l. mariti. 29. §. sex. mensium. 5. l. pater. 30. §. 1. ff. ad* L. *Jul. de adulter.* & quidem sine periculo calumniæ & inscriptione, quod de marito testatur L. *auxilium. 37. §. 1. ff. de minor.* Brunnemann. *ad l. 6. C. ad Leg. Jul. de adulter. num.* 1. 5.

Quod si vero maritus Reipubl. caussæ absens in publico munere detineatur, tunc non currunt ipsi hi 60. dies, quia hoc tempus utile est non continuum, *l. 11. §. 5. ff. ad L. Jul. de adulter.* sed reverso eo demum currere incipit, & tunc debet ipsi statui a judice terminus juxta *l. 7. C. qui accusare non poss.* ne perpetuo litis metu uxorem terreat & detineat. Brunneman. *ad. l. 21. C. ad Leg. Jul. de adulter.* 6.

Post sexaginta illos dies jus accusandi etiam conceditur extraneis, sed intra menses quatuor utiles, *l. 4. §. 2. ff. ad* L. *Jul. de adulter. l. 1. §. 10. ff. ad Turpil.* & intra hos quatuor menses ipse maritus etiam agere potest, ast non jure mariti, sed jure extranei, i. e. non habet privilegium aliquod, sed debet, se inscribere & de calumnia tenetur si non probaverit, quamvis si modo confidat se probare posse, calumniæ pœnam timere non debeat. Brunneman. *dict. loc. num. 4.* 7.

Quatuor autem illi menses utiles ita computandi sunt, ne quinquennium excedant continuum ex die commissi criminis inchoandum, *l. miles. 11. § adulterii reum. 4. l. mariti. 29. §. sex mensium. 5. & 6 l. quinquennium. 31. ff. ad* L. *Jul. de adult. L. adulter. 5. C. eod.* Cujac. *in Comm. ad tit. de divers. temp. præscript. cap. 24.* Carpz. *in pract. crim. part. 2. quæst. 59. num. 5.* 8.

Post illud vero quinquennium tam adulterii accusatio quam ejus pœna cessat, *d. l. mariti. 29. §. sex. mensium. 5. verb. praterea. ff.* 9.

ad L. Jul. *de adulter. d. l* 1. §. *accusationem.* 10. *& SCtum* 15. §. *si propter* 3. *ff. ad SCutum Turpil. l. quarela. C. ad* L. *Cornel. de fals.* Petr. Theodoric. *in Colleg. criminal. pract. Disp.* 6 *thes.* 3. *lit.* G. Zanger. *de Except. part.* 3. *cap.* 10. *num.* 213. *vers. excipitur omnis.* cum paria sint solutum esse vel præscriptum: item pœnam solvisse & satisfactum esse de crimine, vel præscriptum cognitioni, *l. se etsi unius.* 17. §. *Prætor. ait. ff. de injur.* Virg, Pingitzer. *quæst.* 57. *num.* 24. Et hoc tam de Jure Civili quam etiam Saxonico obtinet, uti tradit Carpz. *d. quæst.* 59. *num.* 19.

10, Inter personas autem adulterium accusantes, minor 25. annis ad adulterii accusationem non admittitur, *l. si maritus.* 15. §. *Lex Julia* 6. ibique Bartol. & alii *ff. ad L. Jul. de adulter.* Maritus tamen minor 25. annis a tali accusatione non repellitur, *d. l. si maritus.* 15. §. *lex Julia.* etiam filiusfamilias sit, & pater ejus dissentiat, *l. inter.* 6. §. *filiusfam. ff. ad L.* Jul. *de adulter.*

11. Quamvis vero Jure Codicis maritus uxorem adulterii accusare non possit, nisi facto divortio, nec adulterum, *11.* §. 10. *ff. ad Leg. Jul de adulter. & l. crimen.* 11. *Cod. eod.* Sex extraneus potest adulterum non tantum ob *l.* 39. §. 11. *ff. d. t.* sed & adulteram constante matrimonio accusare, si prius maritum Lenocinii accusaverit, *l.* 26. *ff. d. t.* Jure vero Novellarum marito hoc permittitur, & retentam uxorem accusare potest, *Novell.* 117. *cap.* 8. *vers si de adulterio.* Probato autem prius adulterio, repudium mittendum, ne scilicet crimine non probato, matrimonium sine justa caussa dirimatur, Bachov, in Treutler *vol.* 2. *Disp.* 31. *thes* 1. *lit.* G. *verb. Quinquennio autem* Rittershus. *ad Novell. part.* 12. *cap.* 5 *num.* 9. & si maritus non probet adulterium, eas pœnas luere debet, quibus afficienda fuisset uxor, si adulterium probatum fuisset: hæc tamen pæna quoad maritum hodie est arbitraria, uti tradit Brunnem. *ad L.* 11. *C. ad l. Jul. de adulter. n.* 5.

Et potest maritus contra uxorem adulteram experiri tum
12. civili actione, ad thori sive matrimonii separationem, *c. tua.* 5. *vers. de procurat. c. significasti & c. ex literis* 5. *ff. de divort. c. literis.* 2. *x. de præsumpt. c.* 4. *x. de donat. int. vir. & ux.* item ad dotis & donationis propter nuptias amissionem, *c. plerumq;* 4. *x. de donat. inter*

ter vir. & uxor. l. consensu 8. §. virum etiam. 5. & l. jubemus. 11. §. 1. C. de repud. Novell. 117. *cap. 8. cum mulier. 47. ff. solut. matrim.* tum etiam criminaliter ad certam pœnam infligendam.

Et quando civili actione contra ipsam experiri vult, eam coram judice Ecclesiastico intentare debet, cum ejus cognitio ad Judicem Ecclesiasticnm spectet, *c. porro & c. seq. c. ex literis. & c. seq. x. de divort. c. intelleximus. 6. c. ult. ext. de adult. & stupr. c. veniens. 13. vers. mandamus. x. de sponsal.* Covarruv. *in Epit. lib. 4. decretal. tit. de sponsal. cap. 3. §. sexto. n. 8. & cap. 11. §. duodecimo. num. 3.* Nicol. Mozz, *de matrimon. cap. de naturalib. matrimon. num. 18.* Jul. Clar. *in pract. crim. quæst. 37. n. 3. vers. scias tamen* Farinac. *in pract. crimin. tit. de inquisitione quæst. 8. num. 130. & in tit. de delictis carnis quæst. 141. num. 42.* 13.

Quando vero criminaliter contra ipsam agere velit ad pœnam infligendam, tunc talis cognitio est mixti fori & ad utrumque Judicem tam Secularem quam Ecclesiasticum pertinet, & hoc in casu præventio locum habet. De Judice Ecclesiastico est text. *in c. 1. x. de off. jud. ordin.* De Judice seculari extat text. *in c. cum sit generale. x. de foro compet.* & de utroque habetur text. *in c. tua. 5. x. de procurat.* & ita tenent Alciat. *in c. 1. n. 18. vers. de off. & potestat. Jud. ordin.* Covarruv. *ad tit. de Sponsal. part. 2. c. § 2. Sexto. n. ult.* Jul. Clar. *pract. crimin. quæst. 37. num.* 3. Farinac. *d. tit. de Inquisit. n. 130. & d. tit. de delict. carn. quæst. 140. n. 42.* 14.

Et harum actionum una simul instituta contra uxorem, ad alteram transilire non potest: e. gr. Si civiliter egerit ad thori separationem & dotis amissionem, non potest postea uxorem etiam criminaliter de adulterio accusare. Ratio, quia actio illa civilis ad vindictam injuriæ marito ab uxore adultera illatæ tendit, *l. miles. 11. §. socer. 3. ff. ad L. Jul. de adulter.* Anchoran. *in c. tua. num. 4. x. de procurat.* Barbos. *ad l. 2. part. 1. in princ. n. 127. & seq. ff. solut. matrimon.* Cum ergo criminalis adulterii accusatio pariter quoque ad vindictam tendit non potest maritus post civilem de adulterio actionem etiam criminaliter uxorem accusare. Quando enim utraque actio ad vindictam tendit, tunc una electa, ad aliam quis redire non potest, *l. quod 6. in fin. & seqq. l.* 15.

Pra-

Prætor.edixit. 7. §. si dicatur. ff. de injur. Covarruv. *lib. 2. variar resolut. cap. 10. num. 1. in fin.*

16. Quæstio hic incidit; Cum maritus de adulterii accusatione criminali cum uxore sua non possit transigere, per text. *in l. transigere 18. C. de transact. l. de Crimine 10. C. ad* L. Jul. *de adulter.* an nihilominus tamen facta transactione, accusare uxorem de adulterio possit? Negat hoc Bartol. *in d. l. transigere 18. n. 13. C. de transact.* & Donell. ad eandem *n. 4.* Cyrus tamen *in ead. lege in 7. opposit.* distingvendum dicit inter accusationem, quæ intra 60. dies a die divortii jure mariti fit, & eam, quæ fit jure extranei: Jure mariti si fiat accusatio isthæc, factâ transactione cum uxore adultera non est admittendus maritus ad accusationem uxoris: Ratio, quia accusatio adulterii, quæ fit jure mariti, est singularis privilegiata & propria mariti, proindeque omnibus aliis accusare volentibus ipse maritus præfertur, & neque de calumnia, neque ad subscriptionem in pœnam talionis tenetur, *l jure mariti. 6. & l. quamvis. 30. C. ad* L. Jul. *de adulter.* Franc. Marcus *decis. 742. part. 2.* Jus autem singulare & privilegiatum facile tollitur, *l. ejus militis. 34. §. militia missus. ff. de testam. milit.* Et quia accusatio adulterii, quæ fit jure mariti, permittitur ipsi marito propter injuriam privatam, quæ ei per adulterium uxoris infertur, *d. l. quamvis 30. C. ad L. Jul. de adulter.* ac quilibet injuriam privatam remittere potest, *§. ult. Inst. de injur. l. si tibi. 17. §. quadam. ff. de pact.* Consequens etiam est, quod transactio de accusatione adulterii jure mariti competente valeat: & proinde permissum non est marito post transactionem accusare adulteram uxorem de commisso adulterio jure mariti: Quod si vero maritus cum uxore adultera transigens, jure extranei accusare eam velit, non impedit ea transactio, quo minus uxorem de adulterio accusare possit. Hæc enim accusatio competit non jure proprio, sed publico jure, ut quæ cuilibet de populo permittitur, ut supra dictum; cum ergo inutiliter de hoc Jure accusandi publico transactio fiat, salvum manet ipsi marito jus publicum accusandi uxorem adulteram. In casibus enim, in quibus transigi non potest, qui inutiliter transegit, non impeditur accusare. *gloss. fin. in l. accusationem. 6. C. qui accus. non poss.*

Non

Non potest autem maritus vel extraneus simul adulterum 17.
& adulteram ex eadem caussa adulterii accusare, sed ordine utrosque persequi debet. *l. 1. §. accusationem. 10. vers. at quia idem. ff. ad SCt. Turpil. l. reos. 8. C. ad L. Jul. de adulter.*

Et quidem prius adulterum accusare debet, quo peracto, 18.
ipsoque convicto & condemnato, ad adulteram quoque devenire accusator potest, *l. 2. in princ. l. nuptam. 5. in fin. l. miles. 11. §. licet. 11. ff. d. t.* Quod si autem quispiam utrosque simul detulerit, nihil efficiet, poteritque ab initio, quasi neutrum detulerit, rursus quem velit, accusare, cumque eo experiri, *l. si maritus 15. §. ult. ff. d. t.* Et hæc, quæ dicta sunt, intelligenda sunt eo casu, quando unus, vel maritus, vel extraneus ambos simul accusare velint, id quod non procedit, a diversis vero singuli simul possunt accusari, *l. denunciasse. 17. §. quæritur. 6. ff. d. t.* Quando 19.
vero adulterium cum incestu conjunctum est, tunc ambo simul accusari possunt, quia quoties est duplex crimen, sumere oportet, quod in altero ex duobus jura durius constituerunt, Cujac. *in l. vim passam. 39. § incesti. 7. ff. ad L. Jul. de adulter.* Brunnem. *ad l. 8. C. ad* L. *Jul. de adulter. n. 5.*

Et quando accusatio contra adulterum instituitur, tunc ex- 20.
spectare debet mulier, donec sententia de adultero lata fuerit. Quod si adulter absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultra accusari potest: Si vero is condemnatus fuerit, mulier non est condemnata, propterea etiam cum ipsa de adulterio agi potest, quæ fortassis obtinere vel gratia, vel justitia, vel legis auxilio posset. Fieri enim potest, ut accusatus adulterii reus inimicitiis oppressus sit, vel falsis argumentis testibusque subornatis apud judicem gravatus, Farinac. *in pract. crim. qu. 141. n. 108.* Brunneman. *ad l. 8. C. ad l. Jul. de adulter. n. 2.* qui aut noluit, aut non potuit provocare, mulier vero judicem religiosum sortiatur ac pudicitiam suam defendat, *d. l. denunciasse. 17. §. quæritur. & l. adult. 19. §. nuptæ. ff. ad* L. *Jul. de adulter.* Si vero reus adulterii antequam condemnetur, vel antequam cum ipso agi cœptum sit, moriatur, tunc mulier accusari potest, *d. l. denunciasse. §. ult. & l. seq. & dict. l. adulter. in pr. ff. d. t.*

21. Quod ad accusationem adulterii, ante omnia dispiciendum est, quo in loco & coram quo judice conveniendus sit? Et communiter Impp. Severus & Antoninus, *in l.1.* & Diocletianus & Maximilianus *in l. subseq. 2. C. ubi de crimin. ag. oport.* tria definiunt loca ubi criminum rei conveniri possunt, uti (1) est locus domicilii, (2) locus commissi criminis, & (3) locus ubi reus reperitur.

22. Primus itaque & potissimus accusationis locus erit iste, ubi crimen adulterii commissum esse constat, *l. si dum. 14. & l. seq. junct. Authent. si vero criminis. C. ad* L. *Jul. de adulter.* cum alias generaliter hic potissimus accusationis locus sit in quo crimen est commissum, per *d. l. 1. C. ubi de crim. ag. oport. l. ult. ff. de accusat. l. non est dubium. 11. C. de custod. reor. l. 3. ff. de offic. Præsid.*

23. Secundus est locus domicilii: Delinquens enim forum sortitur ubi suum domicilium habet, *l. 2. C. de jurisdict. l. 1. ff. de interdict. & releg. l. Relegatorum. 7. §. interdicere autem. 10. ff. eod. tit. c. licet. de foro compet.* Farinac. *in pract. crim. qu. 7. num. 1. & 2.* per domicilium autem hic intelligitur domicilium habitationis, *l. 19. §. 3. & l. ult. ff. de judic. l. 2. C. de jurisdict.* non etiam originis seu naturale domicilium, quod ex generali Germaniæ consuetudine non amplius obtinet. Tob. Paurmeister *de Jurisdict. lib. 2. cap. 8. n. 38.* & non attenditur nisi reus ibi deprehendatur. Dd. *in l. incola. ff. ad municipal. & in l. herus absens. ff. de Judic.* Carpzov. *in prax. crimin. part. 3. quæst. 110. n. 10.* Conveniri autem potest adulter in loco domocilii ob delictum alibi commissum, non solum si ibidem deprehendatur, de quo minus dubium est, juxta tradita Zangeri *de Except. part. 2. cap. 1. num. 448.* quo casu tam inquisitorie quam per viam accusationis adversus eum agi potest? neque enim tam locus domicilii quam deprehensionis tum attenditur, sed & quando absens aut fugitivus est delinquens Carpz. *d. l. num. 12.*

24. Tertius est locus deprehensionis, & sic adulter ubi reperitur potest accusari. Nocentes siquidem rei forum etiam sortiuntur ubi reperiuntur & deprehenduntur, *l. 1. C. ubi de crim. ag. oport.* ibique Vultej. *num. 36. & seqq. l. 1. C. ubi quis de Curiali* maxime si sint vagabundi, qui alias ubique locorum de delicto ubicunq; commisso puniri possunt, adeo ut nec ad locum delicti commissi

remit-

remitti debeant, *gloss. in d.l.1.C.ubi de crim. ag. op.* Farinac. *in prax. crim. lib.* 1. *tit.* 1. *qu.* 7. *num.* 13. *& seqq.* Petr. Theodoric. *in jud. crim. pract. Disp.* 4. *thes.* 3. *in fin.* Fugitivus enim & vagabundus de fori incompetentia excipere non potest, *arg. l.* 1. *C. in quib. caus. colon. censit. Domin. accusar. poss.* Color. *de process. execut. part.* 2. *cap.* 1 *num.* 28.

Accusationem ipsam quod attinet, debet ea fieri juxta legitimam formam & modum ac solemnia juris, secundum ductum *l. ea quidem.* 7. *C. de accusat. l. si crimen.* 10. *C. de his qui accus. non poss. l. non prius.* 7. *C. de calumniator. l. si adulterium.* 38. *§. ult. & l. seq. §. in matrimonio. ff. ad L. Jul. de adulter. l.* 3. *in princ. & §.* 1. *ff. de accusat. l.* 3. *de his. C. qui accus. non poss.* 25.

Debet autem I. Reus adulterii ab accusatore postulari: Postulatio enim rei ejus accusationem praecedit, uti notat *text. in l. si adulterium.* 38. *§. ult. ff. ad* L. *Jul. de adulter.* ubi JCtus Papinianus, Reus quidem, *ait*, postulatur, sed differtur accusatio. Reus itaque prius postulatur quam accusatio instituitur, quod tradit etiam Cujac. *in Comment. in l.* 36. *quaest. Papin. in explic. d. l.* 38. *§. ult. ff. ad* L. *Jul de adulter. & in lib.* 2. *Papiniani de adulteriis, in explicat. l. aut privatim.* 10. *ff. ad SC. Turpil.* 26

Dicitur autem Reus postulari, quando desideratur, ut ipse criminis reus recipiatur inter reos. *l. vim. passam.* 39. *§. in matrimonio ff. ad L. Jul. de adulter.* 27.

II. Debet rei delatio & postulatio fieri vel oblatione libelli seu paginae inscriptionis, vel apud acta querelae accusatoriae depositione, *l si quis.* 8. *C. de accusator. l. cum quidam.* 21. *vers. & postquam C. de fid. instrum.* Dupliciter enim in Processu accusatorio potest procedi, primo per libellum, deinde per querelam judici oretenus insinuatam & ad Acta a Notario relatam; licet alii per Querelam intelligant Libellum sine conclusione. Prius tamen magis placet. In criminalibus enim libellus sine conclusione est libellus: nam in criminalibus non opus est conclusione. Gail. *l.* 1, *observ.* 61. *n.* 18. Obrecht. *de Libello c.* 11. *n.* 79. Brunneman. *ad d. l.* 8. *C. de accusation. num.* 3. *&* 4. 28. 29.

Est autem libellus inscriptionis ille, quo accusator coram 30.

ram Judice competente criminis magnitudinem per ejus circumstantias exponit, illudque ab accusato reo peractum esse testatur, & se hoc persequi velle, *l. 3. in princ. & §. item subscribere. & l. si cui 7. ff. de accusat.* Cujac. *in paratit. ff. de accusat. & inscript. & lib. 1. observ. cap. 20.*

31. III. Debet Accusator cautionem præstare, quod perseveraturus sit in crimine persequendo usque ad sententiam, & sese libello inscribere ad similitudinem supplicii seu talionem, in eventum, si succumberet, per *l. qui crimen. 3. C. de his qui accus. non poss.* Hanc tamen inscriptionis necessitatem ex consuetudine sublatam esse testatur Brunnemann. *ad hunc l. 3. n. 3.* ne scil. metu propriæ salutis quis ab accusando desisteret, & sic crimina manerent impunita. Clar. *in §. fin. qu. 12. num. 17.* Carpz. *Pract. crim. part. 3. qu. 106. n. 41.* Remansit autem altera cautio, scil fidejussoria, quâ dato fidejussore vel prædiis satisdare debet de lite prosequenda, & in casum succumbentiæ de injuria, nec non de sumptibus & expensis refundendis, *Constitut. Carolin. artic. 12. in princ. & artic. 15.* & nisi fidejussorem statim invenire possit, custodiæ tamdiu tradendus, Brunneman. *d. loc.* Carpzov. *d. qu. 106. num. 45.*

32. Libellus inscriptionis autem ut legitimus sit, continere debet, (1) Judicem competentem, coram quo fit rei delatio & accusatio (2) Criminis quod defertur speciem. (3) Nomen accusatoris, & nomen ejus qui adulterium commisit, ut & ejus cum qua illud commissum est. (4) Locum in quo adulterium commissum est. (5) Annum & mensem, quando est commissum. (6) Subscriptionem ipsius delatoris sive accusatoris propria ipsius manu vel si scribere nequeat manu aliena exaratam. *d. l. 3. C. qui accus. non posse. l. si cui crimen. 7. in pr. & l. si quis 13 ff. de accusat. l. in causis. 16. & l. ult. C. d. t. l. ult. ff. de privat. delict. & l. ult. ff. de furt.*

CAP.

CAPUT IX.
De Pœnis.

SUMMARIA.

cum adultera relegebatur. 58.

Lege Julia non mortis pœna sed relegationis constituta. 59.

Alexander Imp. pœnam capitalem constituit. 60.

Quæ a Carolo V. confirmata. 61.

Jure Novellarum uxor adultera virgis cæsa in monasterium detruditur. 62.

Hæc Constitutio Novellæ per consuetudinem contrariam abolita. 63.

A Facultate Juridica Francofurtana etiam mulieri adulteræ gladius dictatus. 64.

De *Jure Canonico mulier adultera in monasterium detruditur.* 65.

In multis Germaniæ provinciis pœna adulterii est pecuniaria. 66.

Apud Perusinos. 67.

Apud Bononienses. 68.

Apud Florentinos. 69.

Statuto Civitatis Novaricæ. 70.

Apud Colonienses pœna. 71.

In Francia adulteria ex consuetudine non puniuntur. 72.

In quibusdam Franciæ *locis punita.* 73.

In Senatu Parisiensi adulterium quomodo punitum. 74.

In Curia Parisiensi quidam adulter ad furcas damnatus. 75.

Burdigalensium consuetudine adulter capitaliter punitus. 76.

Bojariorum Legibus *qualis pœna.* 77.

Riboariorum pœna. 78.

Troglodytarum pœna. 79.

Jus Saxonicum sequitur constitutionem Novellarum in puniendis adulteris. 80.

In Saxonia deficientibus monasteriis, uxores virgis cæsæ in perpetuum relegantur. 81

In Electoratu vero Saxonico tam viris quam uxoribus adulteris gladius dictatur. 82.

De Jure Wurtenbergico qualis pœna? 83.

POenas hoc in capite tractaturus temeratoribus thori conjugalis infligendas, diversæ illæ erunt ratione personarum quæ illis subjugandæ. Et erunt tales personæ interdum

dum ipse maritus violationem thori patiens vel permittens, interdum uxor, interdum adulter uxorem adulterans.

1. Et quidem primo, si maritus uxorem suam turpis quæstus & lucri caussa prostituit, is perinde ceu adulter ultimo supplicio & pœna gladii plectendus est, *l. 2. §. lenocinii. l. qui domum. 8. in fin. l. mariti. 29. in princ. & §. plectitur. 4. §. seq. ff. ad* L. *Jul. de adulter. l. auxilium* 37. *§. ult. ff. de minor.* Damhouder. *in pract. crimin. cap. 89. n. 5.* Farinac. *in pract. crim. part. 5. qu.* 140. *n.* 17.

2. Hunc tamen juris rigorem quandoque mitigatum & commutatum fuisse in pœnam exilii, tradit Damhoud. *in d. pract. c. 90. num.* 1. interdum in pœnam fustigationis item ductionis super asinum, facie versa ad caudam asini, uxore asinum trahente & Præcone ante eum clamante; *Qui sic faciet, sic capiet.* Foller. *in pract. crim. in verb. item quod fuit leno. num. 9.* sicuti hoc Parisiis fieri tradit Tiraquell. *in Leg. Connub. 9. num. 232.* Alias pœnas pro diversorum locorum consuetudinibus lenonibus maritis fuisse constitutas refert Anton. Gomez. *in l. Tauri. 80. n. 63.* ubi testatur in illo regno observari, quod tam maritus quam uxor flagelletur. Item Petrus Caballus *resolut. crimin. cap.* 171 *n. 9.* ubi etiam testatur, maritum quandoque ad triremes condemari, & ex iis Farinac. *pract. crim. d. part. 5. de delict. carn. qu. 144. n. 73. & seqq.*

3. Hæ tamen consuetudines nil plane derogant dispositioni juris communis, lenocinium ultimo supplicio vindicantis, quin potius hæc pœna a Carolo V. in Imperio Romano-Germanico repetita & confirmata est *Ordin. Crimin art. 122.* his verbis: So jemand sein Eheweib umb einigerley Genieß willen/ wie der Nahmen hat/ williglich zu unehrlichen/ unkeuschen und schändlichen Wercken gebrauchen läst/ der ist ehrloß/ und soll nach Vermögen gemeiner Rechten gestraffet werden. Quibus verbis maritum lenonem (qui Germanice proprie vocatur ein Hahnrey/ *gloss. ad artic. 13. l. 2.* Land-Recht *num. 10.*) conjugem suam turpis quæstus causa ad libidinem explendam, prostituentem, ultimi supplicii pœna affici, secundum Novell. 14. scribit Matth. Stephani *ad d. art. 122. Or-*
4. *din. Crimin. Carol.* Quæ pœna etiam in foro Saxonico obtinet, uti testatur autor *Consult. Constit. Sax. tom. 2. part. 4. quæst. 22. in princ. &*

num. 1.

n. 1. Berlich. *part.* 5. *concl.* 40, *n.* 8. *& n.* 30. Quam & Divus Augustus Elector. Saxon *in Constit.* 29. *part.* 4. *princ.* his verbis confirmavit: Da ein Ehemann sein Eheweib umb Geld oder schändlichen Genieß willen/ jemanden zu Ehebruch prostituiren würde/ so soll der/ der sich solches Gewinnes oder Nutzens gebrauchet/ wegen dieses lenocinii oder Mißhandlung/ mit dem Schwerd gestraffet werden. Carpzov. *pract. crimin. part.* 2. *qu.* 71. *n.* 17. 5.

Et hæc pœna ultimi supplicii non tantum locum habet, quando maritus ipse uxorem suam ad adulterium solicitat, producit & prostituit; sed etiam quando hoc ipsum ab uxore perpetrari non improbat, sed sciens patitur & permittit sub spe lucri, quod ab adultero transigendo postea cum ipso accipit: e. gr. Si maritus fingens se dormire permittit aliquem uxoris suæ fundum colere & postea cum adultero transigat, & pecuniam, aliudve lucrum accipiat, Menoch. *de A. J. Qu. lib.* 2. *cent.* 6. *cas.* 534. *n.* 26. Farinac. *d. qu.* 144. *n.* 82. *& seqq.* modo scientia mariti non possit aliqua ignorantia vel contraria aliqua credulitate obumbrari, Bald. *in l. fine metu.* §. *is enim. C. ad* L. *Jul. de adulter.* it. Salicet. *ibid. in princ. vers. secundo, quando pract.* Berber. *part.* 1. *rubr.* 2. *de adulter. &* 6.
stupro. n. 17. *&* 18. ubi declarat & exemplificat hoc, & infert ad Gallos, qui fidem habentes de honestate suarum mulierum, semper in bonam partem quoscunque luxuriosos actus assumunt. Unde Damhouder. *in pract. crimin. cap.* 9. *rubr.* 9. *de permiss. n.* 7. dixit: Non mirum, si in Regno Franciæ adulteri ex consuetudine liberius peccent, & rarius puniantur, cum viri raro etiam suspicentur uxores suas adulteras esse, & si quid mali aut rumoris aliquando de uxoribus audiant, candide interpretantur. 7.

Ratio autem cur hæc pœna gladii etiam hoc in casu locum habeat, est (1) in textu *l.* 14. *ff. ad* L. *Jul. de adult.* ubi pœna lenocinii damnatur is, cujus ope, consilio, dolo malo, factum est, & vir fœminave in alterio deprehensa, pecunia, aliave qua pactione se redimerent (2) In *artic.* 122. *Ordin. Crim. Carol.* ubi sic disponitur: So jemand sein Eheweib umb einigerley Genieß willen/ wie der Nahmen hat/ williglich zu unehrlichen/ unkeuschen und schändlichen Wercken gebrauchen lässet/ ex quibus constat lenones quoque

esse qui uxores suas aliis subjici permittunt, licet ipsimet non prostituant. (2) Ex identitate rationis, quæ etiam hoc casu militat: Non minus enim quæstum ex lenocinio facit, qui lucri caussa uxorem adulterari patitur, quam qui expresse eam ad adulterium solicitat & prostituit; quin & uxorem prostitui permittens, ipsemet prostituere videtur. Cui consentit responsum Ulpiani *in l. mariti. 29. §. quæstum. ff. ad* L. *Jul. de adult.* ubi proprie etiam quæstum de adulterio uxoris facere dicitur, qui aliquid accepit, ut uxorem adulterari pateretur.

8. Prædicta tamen pœna gladii locum non habet, sed potius mitigatur. quando maritus uxorem non quæstus aut lucri caussa, sed ex magna quadam levitate prostituit & adulterari patitur. Lenones siquidem de jure civili propterea tam gravi afficiuntur pœna, quod turpem quæstum faciant & accipiant. *Novell. 14. post pr. vers. & omnem quæstum miserabilem.* unde a contrario sensu, si nullum quæstum faciant, mitius puniendi sunt. Menoch. *de A. J. Qu. lib. 2. cent. 6. cas. 534. num. 8.* Farinac. *d. quæst. 144. n. 68.* unde hoc casu fustigationem cum perpetua relegatione sufficere existimat Carpzov. *pract. crim. part. 1. qu. 71. n. 38.*

9. Sic etiam ordinaria pœna non punitur leno, si lenocinium tantum fuerit intentatum, effectus vero non secutus: e. gr. Si quis uxorem ad adulterium solicitat, quod tamen ab ea impetrare nequit, tunc enim is, non ordinaria sed extraordinaria quadam pœna afficiendus est, juxta *l. 1. §. qui puero. 2. in princ. ff. de extraord. crimin.* Farinac. *d. quæst. 144. n. 33.* Menoch. *de A. J. Qu. l. 2. cent. 6. cas. 534. num. 48.* Sicut in genere conatus sive attentatum alicujus delicti pœna ordinaria non coercetur, nisi sequatur effectus. Farinac. *d. part. 5. quæst. 114. num. 78. & seqq.* Tiraqu. *de pœn. temp. caus. 37 num. 13.*

10. Sed quid si quis uxorem prostituat turpis quæstus caussa, postea vero ab adultero nihil acceperit maritus: e. gr. Si maritus solicitet uxorem ad adulterium ea intentione, ut si adulterum in ipso delicto deprehendat, pecuniam ab eo extorquere possit, adulterantem deprehensus auffugiat, aut marito pecuniam dare nolit, an tunc maritus ordinaria pœna gladii plectendus

dus sit? Videtur quod sic, quia adulterium fuerat perpetratum, & lenocinium omni ex parte consummatum, perinde ut in simili latrocinium dicitur perfectum ac consummatum, homicidio perpetrato sub spe alicujus lucri, ut maxime hoc deficiat, nihilque latro postea lucretur. Sed pœnam fustigationis cum perpetua relegatione hoc casu dictatam fuisse testatur Carpz. *Pr. crim. p.2.qu.71.n.52.*

Et hæc de pœna mariti uxorem suam prostituentis, vel ab alio adulterari patientis, permittentis aut conniventis. Nunc de pœna adulteri & adulteræ.

Et est hæc pœna vel privata, quam leges marito privatim exercere permittunt: vel publica sive judicialis, ad quam infligendam maritus in Judicio agere potest. 11.

Quod ad privatam ultionem sive vindictam, permissum est marito jus occidendi adulterum in uxore deprehensum, *l. marito quoq; 24. in princ. ff. ad L. Jul. de adulter.* Id quod etiam approbavit Lysias ille ex decem Oratoribus, in eleganti sua defensione, quam conscripsit de nece Eratosthenis adulteri: hujusque rei Pausanias in Bœoticis citat Draconis legem, & scribit unde id originem habuit. Et id quoque palam asserit Plutarchus in vita Solonis, qui subdit & eum qui libere mulieri vim intulisset, decem drachmis esse obnoxium ex legibus Solonis: sin persuasione in sententiam suam traxisset, viginti drachmarum teneri, præterquam eas, quæ publice quæstum facerent. Sed & Polybius Neapolitanus *lib.2. Historiar.* eum insontem pronunciat, qui adulterum interfecerit; sic enim verba illius habent; καὶ τοίγε περιφανῶς, ὁ μὲν τὸν κλέπτην ἢ μοιχὸν ἀποκτείνας, ἀθῷος ἐστιν. Quod ex Legibus Græcorum, ut qui Græcus erat, accepisse videtur. Quanquam eam legem improbat Aphtonius Declamator in libro Præexercitamentorum, ubi de legis accusatione differit. Tiraquell. *in Leg. Connub. 13. n. 9.*

Nec refert quicquam, maritus sit paterfamilias aut filiusfamilias, *d. l. marito §. cæterum. ff. d. tit.*

Non tamen quemlibet adulterum occidere potest maritus, 12.
sed eum, qui homo vilis conditionis est, qualis est leno & ludio, qui artem ludicram ante fecit, qui item in scenam saltandi cantandive causa prodiit, judiciove publico damnatus, neq;

in integrum restitutus est, *dict. l. marito. 24. in princ. vers. qui leno fuerit.* Quod si vero maritus non infamem personam in adulterio uxoris deprehensam, sed aliam impetu doloris occiderit, punitur quidem sed levius; *l. Gracchus. 4. C. ad* L. *Jul. de adulter.*

14. Sic etiam extat Lex Wisigothorum *l. 4. de adulter. lib. 3. Cod. Wisigoth. tit. 4.* Si adulterum cum adultera maritus vel sponsus occiderit, pro homicida non teneatur, uti refert Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. univ. lib. 36. c. 6. n. 6. in fin.*

15. Sic etiam quando maritus ter in scriptis ei, quem de adulterio uxoris suspectum habet, denunciaverit, ut a conversatione cum uxore sua abstineret, & eum nihilominus cum uxore sua in loco suspecto & ad adulterium idoneo inveniat, non punitur, si eum occidat, *Novell.* 117. *c. 15. & Authent. si quis ei. C. ad* L. *Jul. de adulter.* ibique Brunnemann.

16. Quod ad uxorem adulteram, licuit olim marito uxorem in adulterio deprehensam impune occidere, uti patet ex Gellio *l. 10.* ubi refert, quod in adulterio deprehensam uxorem maritus sine judicio necare impune possit: Id quod & Lex XII. Tabb. statuit his verbis; *in adulterio uxorem tuam si deprendisses sine judicio impune necares.* Sic etiam Cassiodor. *lib. 1. variar.* Pro amore, *inquit*, pudicitiæ porrigere ferrum maritis, non est leges calcare, sed condere.

17. Jure Civili tamen marito non omnino impune uxorem adulteram occidere licet: Maritus enim si forte hoc fecerit, non quidem pœna Legis Corneliæ de Sicariis ordinaria vel Legis Pompejæ de parricidis tenetur, cum difficillimum sit, justum dolorem temperare, *l. 3. §. si tamen maritus. ff. ad SC. Sillan.* ubi JCtus Ulpianus, *Si*, ait, *maritus in adulterio uxorem occidat, ignoscitur, ei*, ubi JCtus dicit, *ignoscitur ei*, scil, non simpliciter, at tenetur quoad ordinariam pœnam: Sed quia plus fecit maritus, quam vindictæ modus ratioque postulat, puniri quidem debet, sed mitius, & excusatur a pœna majori, *l. si adulterium. 31. §. Imperator Marcus ff. ad* L. *Jul. de adulter.* ubi JCtus Papinianus ex Divi Pii Rescripto huic marito pœnam statuit opus publicum perpetuum si humilis sit loci: vel in insulam relegatio, si honestior sit & in a-

aliqua

aliqua dignitate positus. Idem ex ejusdem Principis rescripto docet JCtus Marcianus *in l.1 §.ult.ff.ad* L.*Cornel.de Sicar.* In eum, *ait.* qui uxorem deprehensam in adulterio occidt, Divus Pius leviorem pœnam irrogandam esse scripsit, & humiliore loco positum in exilium perpetuum dari jussit, in aliqua dignitate positum, ad tempus relegari. vid. Conr. Rittershus. *Comment. in* LL. *XII. Tabb. class.3.part.1.c.7.circa fin.*

Verba autem ut deprehensam in adulterio liceat occidere 1
exigunt per Leges, ut ait Lucianus in Eunucho, eam habere membrum in membro, seu ut Ulpianus ait, in ipsa turpitudine. Nam alias non est permissum occidere, sed accusatio competit tunc ex alia suspicione marito, qui sola suspicione motus Jure Romano ream facit de adulterio. Docuit id Cæsar, qui cum stupratam uxorem a P. Clodio intellexisset in templo Vestæ, repudiavit dicens, non se quidem credere, quæ de ea dicerentur, sed non posse eam uxorem habere, quæ semel adulterii commissi suspecta haberetur: pudicæ enim esse, non modo, ut ne quid peccet, sed ut nec de se suspicionem turpem præbeat, nt est apud Dion. Cassium *lib.37.* & refert Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. univ.l.36.c.6.n.7.*

Refert Abrahamus Roger in seiner offenen Thüre zum verborgenen Heydenthum *cap.13.in addit.p.m.113.* ex Caronis Japonia memorabilem Historiam vindictæ privatæ in deprehensum adulterum & uxorem adulteram, quam hic Idiomate Germanico, sicuti refertur, inserere libuit, his verbis: Es hat ein Ehemann sein Weib bey einem andern in seiner Schlaffkammer funden/ den Ehebrecher umbgebracht/ und die Frua auff eine Leiter gebunden/ alda er sie die gantze Nacht über stehen ließ: Des andern Tages aber bereitete er eine Mahlzeit/ darzu er alle seine und seines Weibes Blutsfreunde einlude. Nachdem sich diese Gäste eingestellet/ und die Weiber/ welche in einer Kammer allein sassen/ nichts davon wissende/ zum öfftern nach der Frauen im Hause fragten/ gab ihnen der Mann keine andere Antwort/ als daß sie unmüßig wäre in Zubereitung dieses Gastmahls/ unterdessen solten sie nur immerhin frölich seyn. Als nun ein jegliches/ so wol Männer als Weiber zu Tische sassen/ und die Mahlzeit halb geendiget war/ ging der Mann hin 19.

und schnitte die Schaam von dem todten Strumpff des Ehebrechers abe/ zierete sie mit Blumen und that dieselbige in eine gepichte zugedeckte Schachtel/ band sein Ehebrecherisch Weib von der Leiter ab/ zog ihr ein Todten-Kleid an/ mit aufgelöseten Haar / gab ihr die Schachtel/ (also daß sie nicht wuste was darinnen war) und sprach/ gehe/ bringe den Gästen dieses Gerichte/ und siehe zu/ ob ich umb der Freude willen/ Gnade gegen dir einwenden werde : Die halb todte Frau/ die fast keinen Verstand mehr hatte / that wie ihr der Mann befohlen hatte/ kam in einer sehr düsterlichen Gestalt vor die Gäste auf ihre Knie niederfallend : Da nun die Schachtel geöffnet/ fiel sie zur Erden in eine Ohnmacht/ und wurde ihr alsbald von ihrem Manne das Haupt abgeschlagen.

20. Et hæc de vindicta privata, quam maritus non implorato Judicis officio exercere potest; nunc de Judiciali. Et est ea pœna respectu uxoris sive adulteræ primo civilis, nimirum thori separatio & matrimonii solutio, *c. tuæ. 5, x. de procurat. c. significasti. & c. ex literis. 1. x. de divortiis. c. 4 x. de donat. int. vir. & ux.* item amis-
21. sio dotis & donationis propter nuptias, *c. plerumque. 4. x. de donat. int. vir. & ux. l. consensu. 8. §. virum etiam 5. & l. jubemus. 1. §. 1. C. de repud. & Novell. 117. cap. 8. & Authent. sed novo jure. C. de repud. l. cum mulier. 47. ff. solut. matrim.* ex quibus locis videre est, quod uxor adultera dotem & donationem propter nuptias amittat, eaque marito assignanda sit: & insuper, si liberi non adsunt, tantum accipit maritus ex alia quoque uxoris adulteræ substantia, quantum dotis tertia pars esse cognoscitur, *d. Novell. 117. cap. 8 vers. si de adulterio* Henr. Bocer. *in tract. de adulter. cap. 5. n. 30.* ubi addit, quod Jure Wurtenbergico nulla dote vel donatione propter nuptias constituta, maritus ex adulteræ substantia quartam bonorum partem capiat. Fürstl. Würtenberg. Neu Land-R. *part. 2. tit. 32.*

22. Deinde etiam est amissio bonorum paraphernalium *gl. in d. c. plerumque. 4. x. de donat. int. vir. & uxor.* Hippolit. de Marsil. *in l. patre vel marito. 6. n. 13. ff. de quæst.* Damhouder. *in pract. crim. cap. 80. num. 24.* Nic. Boer. *decis. 338.* Covarruv. *lib. 4. decretal. part. 2. cap. 7. gloss. 6. num. 2.* Jul. Clar. *lib. 5. sentent. §. adulterium. num. 35. vers. adde quod.*

Deinde

Deinde etiam sunt criminales pœnæ, quæ Judicis sententia criminali judicio constituto, in reum & ream hujus criminis decernuntur. Et fuerunt variæ apud varios populos pœnæ. 23.

Apud Ægyptios deprehensus in adulterio mille plagis cæsus castrabatur, maxime si quam corrupisset, non servilem sed liberam conditionem prætulisset, quod uno crimine tria maxima scelera fuisset complexus, injuriam scil. corruptelam, & liberorum confusionem: mulier vero adultera naso mutilabatur: quo dedecore vultus incontinentia maculatus ea parte mulctaretur, qua maxime facies exornatur. Diod Sicul. *lib. 2. Biblioth. cap. 3.* 24.

Qua severitate etiam Romanos usos fuisse liquet ex illo Horatiano lib. 1. Satyr. 2. vers. 46. 25.

- - - - - - Quin etiam illud
Accidit ut cuidam testes caudamq; salacem
Demeteret ferrum.

Et extant ejus rei in Historiis exempla Bibieni & Pub. Cernis, quorum ille Carbonem Actionum, hic Pontium in adulterio deprehensos castrasse scribuntur a Valerio Maximo. Eo allusit Plautus in Pœnulo. Sy. *Facio quod deprehensi mœchi haut ferme solent.* N. *Quid id est?* Sy. *Refero vasa salva.* ea nimirum, unde dicti bene vasati, quales adamasse Faustinam Hadriani uxorem tradit Spartianus. Sic Pythias illa Terentina in Eunucho Act. 5. scen. 5. 26.

Nunc minatur porro sese id quod mœchis solet,
Quod ego nunquam vidi fieri, neq; velim.

& Martialis quoque lib. 2. epigram. 60.

Væ tibi, dum ludis, castrabere, jam mihi dices,
Non licet hoc quid? tu quod facis, Hyle, licet?

Ad idem pœnæ genus respexit Diogenes, qui ut refert Diog. Laert. in Diogene cum Didymonem mœchum audivisset comprehensum, ἄξιος inquit, ἐκ τοῦ ὀνόματος κρεμᾶσθαι : *Dignus est ex ipso nomine suspendi* : Nam Græca διδύμων appellatione testiculi intelliguntur. Quibus quidem cum nimio 27.

plus

plus laſcivire ſoleant Clerici, Alachis adverſus Regem ſuum Cunipertum bello conflato, juravit, ſi poſtridie victoriam adnuiſſet Deus, puteum unum ſe Clericorum teſticulis oppleturum. Cui impietati dicam, an credulitati, quanquam voto fruſtratus, ſatisfeciſſe tamen dicitur apud Cœl. Rhodign. *lib. 4. antiq. lect. c. 7.*

28. Quin eum caſtigandi modum veteribus quoque Francis haut incognitum fuiſſe docet Luitprandus, Hiſtoricus & Orator, cum ſcribit: Presbyterculus, qui ad Dominæ aſſeclas adhinnivit, virilibus amputatis dimittitur. Henel. *in Otio Vratislav. c. 35. p. m. 296.*

29. Sic Leo Imp. *in Novell. 32.* de adulteris manifeſte deprehenſis pœnam conſtituit, ut naſus adultero & adulteræ abſcindatur, & marito lucrofacit dotem, & permittit alias nuptias adulteræ vero nequaquam: ſed poſt naſi exciſſionem jubet vel in monaſterium vel in exilium extrudi, & ſi in monaſterium transierit, vult bona ejus alia quam dotalia inter liberos & monaſterium diſtribui; ſi liberi non ſunt, parentibus vel proximis loco filiorum dari. Irridet hanc pœnam detruncationis narium Marſialis lib. 3. Epigram.

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere moechis?
Nil hoc peccatum eſt parce, marite, tibi.
Stulte quid egiſti? nil hic tua perdidit uxor,
Cum ſit ſalva tibi mentula Deiphobi.

30. Hebræi adulteras comburere ſoliti ſunt, ut videre eſt *Geneſ. 38. v. 28.* ubi cum Thamar Judæ nurus mœchata diceretur clanculum, educi eam atque flammis concremari ſocer poſtulat, quod certe non poſtulaſſet, niſi illa pœna tunc temporis in adulteras recepta fuiſſet. Poſtea vero illarum pœna erat lapidatio. *Ezech. cap. 16.*

31. Salæthus Crotonienſis Princeps legem tulit, ut mœchi vivi cremarentur, nihil majus hoc crimine exiſtimans. At cum ipſe fratris uxorem polluiſſet, deprehenſus orationem tam luculentam habuit, ut cives remittere pœnam vellent, ac exilio eum tantum damnare: verum ille magnitudinem culpæ intelligens, in ignem ſponte inſiliit, Lucian. *in Apologia pro iis qui mercede conducti ſerviunt.* Tiraquell. *in Leg. Connub. 13. n. 13.*

Sic

Sic Sesostris Ægyptiorum quidam Rex mulieres mœchas vivas cremari jussit, cujus judicium & caussas Diodor. Siculus *lib. 1. Bibliothec. cap. 59.* sic refert: Hic oculorum usum, ut & parens ante eum, amisit; Decimo demum anno oraculi monitu impulsus est, ut fœminæ, quæ alienum virum experta non esset, lotio faciem ablueret, idqve fecit, & à Conjuge suâ exorsus, neque tamen sibi restitutus; cùm posteà multarum humorem similem expertus esset, nullam omnium invenit incorruptam præter hortulani quandam, quam etiam sanitati postea redditus, uxorem duxit. Adulteras autem vivas in vico qvodam concremavit; qvem vicum ab hoc eventu Glebam sacram nuncuparunt, uti hoc ex Diodoro refert Joan. Bisselius *illustr. ruinar. decad. 3. part. 2. in ruina Limones lit. nn. & oo. p. m. 938. & pag. 968.* 32

Sic Palæstinorum Regem adulteros in suo populo admodum fuisse execratum, eosqve ultimo supplicio affecisse testantur Sacra Biblia *Genes. cap. 26.* 33

De Vandalis eleganter scribit Salvianus *lib. 7. de provident.* Vandali, inqvit, addiderunt ad libidinem comprimendam severas pudicitiæ leges decretorum, gladio impudicitiam coercentes, ut puritatem scil. utriusque sexus, & domi connubii servaret affectus, & in publico metus legum, ac si duplici præsidio castimonia niteretur, cum & intus esset quod amaretur, & foris qvod timeretur. 34

Gothorum legibus licebat adulterum occidere, etiamsi Legati munere fungeretur, uti refert Procopius *lib. 1. de bello Gothor.* Et Totilas Gothorum Rex armigerum quempiam, qui virginem stupraverat, morte mulctavit. Procop. *d. l. lib. 3.* 35

Aliam pœnam Athalaricus Gothorum Rex sic statuit: Si quis superfluâ turpiq; cupidine, conjugali honestate despectâ ad concubinæ delegerit vivere complexus: si ingenua, sit jugo servitutis cum filiis suis, addicatur uxori, ut illi se per honesta judicia sentiat subdi, cui pollutam libidinem credidit posse præponi: si ancilla, excepta pœnâ sangvinis, matronali subjaceat ultioni, ut illam patiatur judicem, qvam formidare debuerat absentem. Magn. Aurel. Cassiodor. *variar. lib. 9. cap. 18. in med. p. m. 531.* 36

37 Persæ etiam capitaliter in adulteros animadvertebant, teste Fr. Patric. *de Regn. lib. 4. cap. 11.*

38 Sic etiam Incolæ Insulæ Madagascar sive S. Laurentii adulteros capitaliter plectunt. Hieron. Megiser. *in descript. Insulæ Madagascar. cap. 4. p. m 28.*

39 Moschovitæ adulteros in partes dissecant, uti refert Sigism. Baro de Herberstein *in comment. rer. Moscbovit.*

40 Sic in Tenediorum Repub. Tenedius quidam Rex legem tulit in adulteros, ut utriusque corpus securi concideretur, ejusque legis exemplum in filium edidit, proinde in numismate jussit insculpi, in unâ parte securim, in alterâ duos vultus ex eodem cervice prominentes; cujus meminit Heraclides in lib. de Politiis, qui eum Regem Tennem vocat; refert Tiraqvell. *in Leg. Connub. 13. n. 6.* & Petr. Gregor. *Syntag. Ju. univ. lib. 36. c. 6. n. 22.*

41 Aurelianus Cæsar militem suum, qui uxorem hospitis adulterasset, duabus arboribus curvatis alligatum, in duas partes discerpsit, uti tradit Flav. Vopiscus in Aurelian.

42 In Catalonia si uxor de crimine adulterii convincatur, sententia definitiva ferri solet, uxorem marito tradendam esse ad illam immurandam, præstita tamen cautione juxta dispositionem regiæ declarationis, uti refert Ludov. de Pegvera *decis. 92.* *Nimirum quod tenebit illam*, uti loquitur autor, *in ejus domo propria habente duodecim palmos de longitudine, & sex de latitudine, & duas cannas, quæ summam capiunt sexdecim palmarum de altitudine, & quod dabit eidem uxori unum saccum stramenti, i. e. unam Marfegam de palla, in qua dormiat, & unum lodicem, cum quo valeat se cooperire, & quod faciet in dicta domo unum foramen, in quo possit solvere tributa ventris sui naturalia, & per quod foramen exeant illa fœtida, & quod dimittat unam fenestram in eadem domo, per quam dentur eidem uxori victualia, & quod dabit illi decem & octo uncias panis cocti competentis pro qvalibet die & aqvam quantum voluerit, & quod non dabit sibi aliquid, aut faciet dari, quod illam præcipitet ad mortem: aut aliquid faciet, ut ipsa uxor moriatur.* Hæc Ludov. a Pegvera *d. loc.* addens suo tempore id observatum in qvadam Anna Funera contra quam sententia fuit lata die 17. Martii 1591. Et hanc esse pœnam pecul-

culia-

culiarem adulterantium mulierum in Catalonia testatur quoq; Joan.Petr.Fontanella *in tract.de pact.nuptial.claus.7.gloss.3.pact.12. num.27.& seqq.*

De Braminibus refert Abraham Roger im Indianischen Heydenthum *part.1.cap.13.* Daß die Bramines ihre Weiber nicht gerne verlassen: Ja wenn sie schon solche als Ehebrecherin befinden/daß sie dieselbigen gleichwol nicht von sich stiessen/damit dieser böse Nahme/ so ihnen schimpfflich/ der Welt nicht offenbahr würde. Wenn sie aber befinden/daß sich die Frau selbst hierinnen vergriffen / so mauren sie solche zwischen zwo Wände ein / und lassen sie nicht mehr an das Tageslicht kommen: So lange sie lebt / versorgen dieselbige in diesem finstern Loche mit Essen und Trincken. Etliche aber die ihre Weiber sehr lieb haben/wofern es noch verborgen ist/werden es auch gantz in der Stille zu halten/sich befleissen: wann es aber ausgekommen und ruchtbar worden / und deswegen ehrliche Leute ihr Hauß scheuen/auch auf keine Weise darinnen essen und trincken wollen/und sie dennoch wegen der Liebe / so sie noch immer zu ihrem Weibe tragen / derselben in Ehren länger zu geniessen verlangen/ungeachtet sie sich an ihnen vergriffen / so stellen sie eine Mahlzeit an / darzu sie viel Bramines und Sanjasiis laden : Bey solcher Mahlzeit wartet die Ehebrecherin denen geladenen Gästen auff/und wann nun die Bramines die Speisen von ihrer Hand empfangen / so thun es auch die andern die dazu geladen sind ; und solcher gestalt wird sie forthin wieder vor eine ehrliche Frau gehalten. 43

Apud Lydos si mulieres post conjugium deliquissent,nulla spes veniæ erat,ut tradit Herodot.*lib.*5.& Ælian.*var.histor.lib.4.* qui etsi aliud non dicant, facile tamen ex illorum verbis colligi potest mortis pœnam apud eos uxoribus fuisse inflictam. 44

Sic Placentini ex statuto non adulterium modo, sed & nixum quoque adulterii capite plectunt test.Bald. *Cons.356.lib.*1. ubi interpretatur quid nixus sit. Tiraqv.*in Leg.Connub.13.n.6.in fin.* 45

Zeleucus Locrensium Legislator legem tulit, ut adulteris uterq; oculus erueretur, cumq; ejus filius in adulterio deprehensus fuisset,& tota Civitas in honorem patris pœnam remitteret, aliquamdiu repugnavit:tandē precibus populi victus,suo prius, 46

 deinde

deinde filii oculo eruto, debitum supplicii modum legi reddidit, admirabili æqvitatis temperamento sese inter misericordiam patrem & justum Legislatorem partitus, uti tradit Valer. Maximus *lib. 6. cap. 5.* & Ælian. *var. Histor. lib. 13.*

47 Lepræi populi deprehensos in adulterio per triduum vinctos circa civitatem ducebant, mox toto vitæ tempore contemptibiles & infames habebant, Adulteræ vero diebus undecim in foro stare discinctæ cogebantur, tunica perlucida circumvestitæ, deinde infames dimittebantur, uti refert Heraclides *in descript. Rerumpubl.* & ex eo Tiraqvell. *d. l. 13. Connub. num. 9.*

48 Apud Athenienses adulteræ ingressu publicorum templorum interdicebantur. Quod si ingressa fuisset, in eam obvio cuique licebat, quicquid libitum erat, præter mortem inferre, mortem autem ob id non licebat, quo diutius in ignominia viveret, uti tradit Demosthenes *in Orat. in Nearam p. m. 875. editionis Wolfian.*

49 Apud Laciadas sive Placiadas, Atticæ regionis populos, qui in adulterio deprehendebantur, ignominiosas pœnas dabant: nates enim ipsis depilabant cinere calido, impactis in podicem raphanis, qvi apud illos miræ magnitudinis esse dicebantur; Quid si raphani defuissent, steleto utebantur, id est ligonis ligno, uti refert Plutarch. *in adagiis.* & hanc pœnam vocabant παρατιλμὸν καὶ ῥαφανίδωσιν. Mugiles etiam interdum ad hanc rem adhiberi soliti sunt: Quo respexisse videtur Catullus in Aurelium, scribens adversus mœchos.

Ah tum te miserum, maliqve fati,
Quem attractis pedibus patente portâ,
Percurrent raphanique mugilesque.

Et Juvenalis Satyr. 10.

Necat hic ferro, secat ille cruentis
Verberibus, quosdam mœchos & mugilis intrat.

50 Id quod etiam in Armenia fuisse observatum videtur voluisse Lucianus in vita Peregrini Philosophi.

51 De Germanis refert Cornel. Tacitus, quod apud eos pœna adul-

adulterarum præsens hæc fuerit & marito permissa, nimirum: Accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Hanc adulterii pœnam posterioribus quoq; temporibus in Germania mansisse ostendit Bonifacius Archiepiscopus in Epistola ad Ethelbaldum Anglorum Regem: In antiqva, *inqvit*, Saxoniâ, ubi nulla Christi cognitio, si virgo in maternâ domo, vel maritata sub conjuge sit adulterata, manu propria strangulatam cremant, aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant castæ matronæ, & de villâ in villam missæ, occurrunt novæ flagellantes, & cultellis pungunt, donec interimant. Philip. Cluver. *in German. Antiqu. lib. 1. cap. 42. §. 6. in fin. p. m. 300.*

Cortinenses, seu ut alii vocant Gortinenses, incolæ civitatis 52
Gortinæ in Creta, adulterum deprehensum & in judicium adductum criminisque convictum lanâ coronabant: Qua coronatione indigitabatur, quod sit homo mollis & effœminatus, & æstimata fuit ei publicè quinquaginta staterum summa. Per reliqvum vero vitæ tempus habebatur ignominiosus & indignus cui ullus dignitatis gradus aut ulla administratio honesta in Republica committeretur, uti tradit Ælianus *var. histor. lib. 12. cap. 12.* Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. univ. l. 36. c. 6. n. 23.*

Cumæi mulierem in adulterio deprehensam in forum de- 53
duxerunt, & saxo impositam omnibus spectandam exhibebant, inde super asino collocatam, & ita per totam civitatem circumductam, in eundem locum restituerunt. Ex illo infamiâ notatam per totam vitam eam ὀνοβάτιν, Eqvitem Asiniariam, Frau Esel-Steigerin/ Frau Esel-Reuterin appellarunt, quod asinum eqvitasset; lapidemque illum tanquam impurum ac detestabilem vitarunt. Plutarch. *in Problemat. cap. 115.* Alciat. *lib. 2. Parerg. cap. 47.* Catellian. Cotta *in memorabilib. incip. Consvetudo. columm. 2. vers. nihilominus alibi.* Joan. Bisselius *illustr. ruinar. decad. 3. part. 2. in Ruina Limones. p. m. 938. & 968.*

Apud Pisidas adulterii convictus per urbem una cum mu- 54
liere circumducitur super asino ad aliqvot dies: uti tradit Nicolaus *in lib. de moribus Gentium*, teste Stobæo *serm. 42.*

55 Apud Islandos adulterium maximâ capitis diminutione constabat: Quin imò non solum adulterio sed etiam basiis & amplexibus clandestinis pœna gravissima erat præstituta: Basiis quidem exilii pœna, si invitâ fœminâ fierent; si consentiente trium marcarum Islandicarum, uti refert Arngrimus Jonas in *Crymogæa sive rebus Islandicis lib.1.cap.8.tit.de Conjugio.§.4.*

56 Quod ad Romanos attinet: Mos erat illis vetus, ut tradit Dionys. Halicarnass. *lib.2. Antiqu. Roman.* ut si mulier aliquid peccasset, ex mariti læsi arbitrio pœnam lueret, & delictis, quibus violata erat pudicitia, cognati cum ipso cognoscerent. Sicque apud Cornel. Tacitum, *lib.13. annal.* Plancius prisco instituto coram propinquis, de capite famaque conjugis cognovit, & insontem nunciavit. Et ut scribit Svetonius, autor fuit Tiberius, ut matronas prostitutæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, propinqui majorum more de communi sententia coercerent: Scribit autem Livius *lib.39.* mulieres damnatas, cognatis, aut in quorum manu essent, tradidisse, ut ipsi in privato animadverterent in eas. Et si nemo fuisset idoneus supplicii executor, in publico animadversum fuisse.

57 Deinde, uti porro scribit Dionys. *d.loc.* Romulus legem contra adulteras tulit, qualis vero ea lex fuerit, non assignat. Ferunt autem hanc fuisse: Adulterii convictam vir & cognati, ut volent, necato. Numa autem Pompilius illius successor, legem mulieribus alienis viris succumbentibus ita constituit: Pellex aram Junonis ne tangito; si tangit, Junoni crinibus demissis agnum fœminam cædito, uti hoc refertur in Dionys. Halicarnass. *de Antiqv. Roman. in Legibus Regiis à Justo Lipsio collectis. sub tit. Leges veterum Romanorum. p.m.781. editionis Sylburgian.*

58 Ante Legem Juliam fœmina adulterii convicta ultra ducentesimum lapidem relegabatur; adulter vero longius: Id quod videre est ex Cornelio Tacito, qui *lib.2. Histor. Augustæ*, scribit, Apulejam Variliam fuisse majestatis & adulterii accusatam. Et de adulterio inquit, satis caveri Lege Julia visum est: sed Tiberius Cæsar adulterii graviorem pœnam deprecatus, ut exemplo majorum adultera à propinquis suis ultra ducentesimum lapidem

dem removeretur, ſvaſit, adultero Italia atque Africa interdictum eſt. Tiraqvell, *Leg. Connub. 13. n. 14.* Lege autem Julia, quæ ab Auguſto Cæſare condita fuit, *l. 1. ff. ad* L. *Jul. de adulter.* & ideò Lex Julia dicitur, quod Auguſtus à Julio Cæſare adoptatus, proindeque etiam Julius dictus fuit, uti refert Dion. *in Hiſtor. lib. 48.* & ex eo Vultej. *ad §. item Lex Julia. n. 1. Inſtit. de public. judic.* Lege, *inquam*, Julia in adulteros pœna relegationis conſtituta fuit, non mortis pœna, uti ex variis Digeſtorum legibus pateſcit. Nam in *l. ſi quis viduam. 5. ff. de quæſtion.* deportationis pœna irrogatur ei, qui cum inceſtu adulterium commiſit: ex quo ſequitur eum, qui ſimplex commiſiſſet adulterium, relegatione punitum fuiſſe. In *l. Claudius. 13. ff. de his quæ ut indign. auffer.* cautum reperitur adulterii damnato non licuiſſe eam ducere, quam adulterio polluerat: Quod ſi lege Julia adulterii damnatus morte ſive ultimo ſupplicio afficiendus fuiſſet, fruſtra diſpoſitum eſſet, quod jure non potuiſſet ducere uxorem, quam adulterio contaminaverat. Sic & in *l. qui cum uno. 4 §. adulterii. ff. de re militar.* conſtitutum eſt, adulterii damnatos inter milites non fuiſſe receptos. Similiter in *l. 2. §. miles. 3. ff. de his qui not. infam.* ſancitum, ut miles adulterii damnatus ita infamis ſit, ut ipſa etiam ſententia eum ſacramento ignominiæ cauſſa ſolvat. Item *l. Divus Hadrianus. 8. ff. de divort.* adulter ad triennium relegatus. Item *in l ſcio. 14. l eo 18. ff de teſt & l. qui teſtamento. 20. §. mulier ff. qui teſtam. fac poſſ.* expreſſum, Lege Julia à teſtimonii dictione arceri damnatos adulterii. Ex quibus citatis legibus videre eſt, quod Lege Julia non ultimum ſupplicium in adulteros fuerit conſtitutum, ſed pœna relegationis, quod etiam ex illo liquet, quod Cajus Julius filiam & neptem omnibus probris contaminatas relegarit, uti tradit Sveton. *in Imper. Auguſto cap. 65.* Id quod etiam teſtatur Tacitus *lib. 1. & lib. 4. Hiſtor. Auguſt. & alibi.* & etiam probat D. Auguſtinus *lib. 3. de C. D. cap. 5.* ubi ſcribit, quod adulteria Romæ non fuerint morte punita. Idemque etiam è JCtis recentioribus confirmat Alciat. *lib. 5. paradox. cap. 8.* Cujac. *in notis ad §. item lex Julia. Inſt. de public. judic. & lib. 6. obſerv. cap. 11.* Heig. *part. 2. quæſt. 29. n. 47 & ſeqq.* Brunnemann. *ad l. 3. C. ad l Jul. de adulter. n. 6. ibique plures allegati.* 59

Poſtea

60 Posteà verò pœna adulterii capitalis esse cœpit, uti notat text. *in l. castitati. 9. & l. quamvis. 30. in fin. C. ad* L. *Jul. de adulter. l. transigere. 18. C. de transact.* ex qva *dicta l. 9.* apparet Alexandrum Imperatorem primum constituisse pœnam capitalem in adulteros & adulteras, uti etiam vult Brunnem. *ad d. l. 9.* quamvis alii aliis Imperatoribus hoc ascribant, quos refert Henr. Bocer. *in tract. de adult. cap. 5. num. 73. & seqq.*

61 Hanc quoq; gladii pœnam Imp. Carolus V. in Constitutione sua Criminali in adulteros & adulteras confirmavit, *art. 120.* ibi: So ein Ehemann einen andern umb des Ehebruchs willen / den er mit seinem Eheweibe verbracht hat/peinlich beklagt/und des überwindet/derselbe Ehebrecher samt der Ehebrecherin sollen nach Sage unserer Vorfahren und unser Käyserlichen Rechten gestraffet werden.

62 Jure autem Novellarum mulier adultera, quamvis in eâ turpius & longe fœdius sit adulterium quam in viro, mitius tamen quàm vir adulter punitur; per Novell. 134. cap. 10. enim virgis cæsa in monasterium detruditur, ex qvo si maritus intra biennium eam recipere voluerit, ipsi restituenda erit, ut possit condonare adulterio, & ipsi cohabitare, ita ut lædantur per id jura matrimonii, nec crimen lenocinii per retentionem & receptionem maritus incurrat, sicut olim jure Pandectarum & Codicis: Quod si vero post biennium maritus eam recipere noluerit, vel non potuerit, puta si interim sit mortuus, mulier adultera non amplius liberabitur monasterio, neq; ad vitam secularem redire poterit, sed tonsa & moniali habitu suscepto cogetur ibidem manere usque ad mortem. De bonis vero adulteræ in monasterium detrusæ sic disponitur. Aut enim hæredes habet descendentes sive liberos, & hi duas uncias bonorum ejus accipient; tertia pars monasterio cedet: aut solos habet ascendentes sive parentes, & si qvatuor unicas bonorum ejus capient, & inter se dividant secundum leges, reliqvas octo uncias, i.e. bessem, monasterium accipiet, in quod mulier talis includitur. Aut denique nullos vel ascendentes vel descendentes habet, & hoc casu monasterium omnem ipsius substantiam capiet, *Rittershus. in Novell. part. 12. cap. 5. num. 18.*;

Verum

Verum hanc constitutionem Novellæ 134. cum pugnet cum 63
Jure Divino, *Levit. cap. 20. v. 10. Deuteron. 22. v. 21.* & irrationabilis sit, cum fœmina plus peccet per insitionem stirpis & sobolis alienæ, qvàm adulter, rectè consvetudine locorum contrariâ abolitam esse testatur Berlich. *part. 4. concl. 27. num. 20.* Brunnem. *ad Authent. Sed hodie. C. ad L. Jul. de adulter. n.* 5. & ibidem addit quod in his 64
terris Marchiæ ex consvetudine à Facultate Juridica Francofurtanâ jam à plurimis annis, adulteræ quoque in duplicato adulterio præsertim pœna gladii dictata fuerit. Sed ubi Constitutio illa Justiniani in favorem fœminarum lata viget, solet fustigatio cum perpetuâ relegatione imponi.

Similiter Jure Canonico fœmina adultera monasterio 65
mancipatur, in quo si maritus eam recipere nolit, toto vitæ suæ tempore permanere & pœnitentiam agere jubetur, *c. gaudemus, 19. x. de adulter.* Lud. Roman. *sing. 174.* Clericus vero adulter deponitur & in monasterium detruditur, ut in eo pœnitentiam perpetuò agat, *can. si quis clericus dist. 81.* Laicus autem excommunicatur, *can. Romanus dist. 81 & c. intelleximus. de adulter. & not. Hostiens. in summa. tit. de adulter. §. quæ pœna sit imponenda. in princ.* At ex concilio Ancyrano *cap. 20.* si quis adulterium commiserit, non nisi septem annis in pœnitentia completis, ad pristinos gradus recipitur, uti refert Tiraqvell. *in Leg. Connub. 13. n. 24. in fin.*

Cæterum hodie in multis Germaniæ provinciis aliisq; Re- 66
gionibus peculiares de adulteris puniendis extant leges, qvarum autoritate pœnæ leviores in adulterii reos & reas irrogantur.

Perusinorum statuta pro adulterio imposuerunt pœnam 67
ducentarum librarum, vel trecentarum, si mulierem quis cognitam domi per horam detinuerit, *uti refert Corneus Consil. 114. col. 1. vers. pœna autem.*

Similiter & Bononiæ qvi adulterium commisit, ducentis li- 68
bris mulctatur, *referente Barb. Cons. 63. in princ. lib. 4.*

Sic etiam statuto Florentino pœna mille librarum in adul- 69
teros constituta, *uti tradit idem Barb. Cons. 87. col. 5. lib. 3. Bald. in l. etsi post. tres ff. si quis caution.*

70 Statuto Civitatis Novaricæ, si qvis per vim adulterium commiserit, condemnatur in libras 100. imperiales, si autem sine vi in libras 50. imperiales. Verum mulier si viro placuerit, comburitur; quod si vir voluerit, dotem tantum amittet, *teste Signo. Cons. 58. in peric.*

71 Coloniæ adultera per civitatem cum contumelia traducta, cum candelis manu delatis ad Ecclesiam ducebatur, uti habet Boer. *decis. 297. num. 13.*

72 In Regno Franciæ adulteri ex consvetudine non puniuntur, uti dicit Joan. Faber *in l. consvetudinis. col. ult. C. quæ sit long. consvetud.* Et idem alibi dicit *in §. ex non scripto. col. penult. vers. sed quaritur an consvetudo. Inst. de Jur. natur.* quod nunquam fuit auditum in Regno Franciæ, quod adulter puniretur pœna juris. Idem *in §. item Lex Julia. Inst. de public. judic.* dicit quod hodie de facto adulterium reputatur industria, ob idque deplorat Galliæ temporum calamitatem: Non est, inquit, sanitas à vertice usque ad plantam cedri, lilium conformatur hyssopo, Quid enim Nobiles scribunt in hospitiorum parietibus, juxta armorum insignia, quod id non sapiat? *Hæc Joan. Faber.* Dicit tamen Gvid. Papa. *Dec. 206. post princ.* qvod ex statutis Gratianopolis in crimine adulterii statuatur pœna centum solidorum. Et Gvil. Bened. *in repetit. c. Raynucius. in verb. cuidam Petro tradiderunt. n. 63.* quod ex statutis urbis Cadurci, adulter pœnâ 60. solidorum tantùm puniatur: aut nudus, sola scil. camisia coopertus, per urbem sine verberibus ducatur.

73 In quibusdam Franciæ locis olim erat consvetudo mulieri adulteræ capillos incidere, vestes ante & retro in ignominiam ejus scindere, & ita per civitatem totam circumducere. Petr. Greg. *Syntagm. Jur. univ. lib. 36. cap. 6. n. 28.*

74 In Senatu Parisiensi adulteros pro qualitate delicti & personarum virgis cæsos aut aliter punitos fuisse testatur Tiraqvell. *in Leg. Connub. 13. num. 24.*

75 Joan. Lucius *lib. 12. placit.* refert placito curiæ Parisiensis institutorem cauponæ qui cum Domina adulterium commisisset, ad furcas damnatum fuisse Mense Majo 1551. Idemque quoque jndi-

judicium Tholosæ in quendam scribam Senatoris,qui ejus uxore erat abusus,exerceri se vidisse scribit Petr.Gregor. *Syntagm.Jur. univ.lib.36.cap.6.num.20.*

Ex consvetudine Burdegalensium institor vel alius famulus qui adulterium commiserit cum uxore domini sui, vel in filiam vel neptem ejus,tanquam falsarius & infidus capite plectebatur,sive prætextu matrimonii sive alio modo id egerit, uti refert idem Petr.Gregor *d.loc.* 76

Ex Legibus Bajoriorum à Theodorico Francorum Rege editis, *tit.de uxorib.& adulter.* si quis cum uxore alterius concubuerit,componat maritum ejus cum suo Weregildo, id est 140. solidis, ut vult Tiraqvell. *in Leg.Connub.13.n.24.* seu 160. solidis,uti explicat Petr.Gregor. *d.l.n.31.* ubi & hoc addit, si in lecto fuerit cum adultera interfectus, in suo scelere jacet sine vindicta; verbis legis ita habent: *Et si in lecto calcaverit uno pede, & prohibeatur à muliere, & amplius nihil fecerit, componat cum 12. solidis.* 77

Ex Legibus autem Riboariorum ab ipso Theodorico latis,si quis uxorem alienam tulerit vivo marito,200. solidis mulctatur. Hinc non immerito conqueritur Alciatus *in l.probrum.ff.de verb. signif.* fures hodie strangulari, adulteros verò pecunia mulctari, ut sit major pecuniæ, quàm morum ratio: & cum Juvenale exclamandum *lib.1.Satyr.2.* 78

\- - - *ubi nunc Lex Julia dormis?*

Apud Troglodytas si quis uxorem Regis vitiasset,certo numero ovium mulctabatur, *uti tradit Diodor.Sicul.lib.1.cap.3.& Strabo.lib.16.* 79

Jus Saxonicum hoc in casu constitutionem Novellarum sequitur, ita ut vir adulter gladio puniatur, uxor vero adultera virgis cæsa in monasterium detrudatur, teste Carpzov. *in pract. crim.part.2.quæst.53.n.29.* 80

Verùm cùm hodie in terris Reformatarum Ecclesiarum Monasteriorum usus esse desierit, uxores adulteras virgis cædi & in perpetuum relegari debere, hancq; pœnam in terris Saxoniæ extra Electoratum usu receptam esse dicit Carpz. *d.loc* illamque pœnam uxoribus adulteris dictatam fuisse à JCtis Witeber- 81

gensibus, Hallensibus, Magdeburgensibus & Jenensibus testatur Virg. Pingitzer *quæst. 45. num. 2.* & Matth. Colerus *part. 1. decis. 176. num. 11.* dicens: Jure autem Saxonico, Wenn ein Weib mit einem andern Unzucht begehet / er sey Ehelich oder nicht / so wird sie zur Staupen geschlagen und des Landes ewig verwiesen. Multaque de hac re præjudicia vide apud Carpz. *d. quæst. 53. n. 33. & seqq.*

82 In Electoratu vero Saxoniæ utrique personæ, tam mulieri adulteræ, quàm viro adultero gladii pœna indicitur, uti apparet ex Constitutione Mauritii Electoris in Ordin. Provinc. de anno 1543. sub tit. von Straffe des Ehebruchs: his verbis: Wiewol die Käyserlichen Rechte in diesem Laster die Straffe den Männern und Weibes-Personen ungleich geordnet: Wo aber hinfürder in unsern Landen ein Eheweib vorsetzlich mit einem andern Manne Ehebruch treibet / so soll sie mit der Straffe die dem Ehemanne geordnet / desgleichen der Mann ob er wol eine ledige Person / nemlich mit dem Schwerdte gestraffet werden.

Hancque D. Mauritii Constitutionem Augustus Elector Anno 1572. Constit. Elect. 19. in princ. part. 4. confirmavit, his verbis: Dieweil wir denn nicht weniger gemeinet / diesem allgemeinen / und noch täglich wider GOttes Geboth wachsenden Laster mit rechten Eyffer und Ernst zu wehren / so wollen wir das berührte Constitution in Würden bleiben / und in unsern Schöppen-Stühlen und Gerichten darnach gesprochen und erkandt werden soll. Et postea clarioribus verbis, *in fin. §. 26.* Soll aber. *d. Constit. 19.* Wenn aber ein Ehemann mit eines andern Weibe die Ehe gebrochen / so lassen wir es bey der Straffe so bis anhero in unsern Schöppen-Stühlen gesprochen / nemlich das sie beyde mit dem Schwerdte gerichtet werden sollen / bleiben. Iisdemque fere verbis repetitum ac confirmatum fuit in Ordinat. Ecclesiast. Elect. Saxon. in der Kirchen-Ordnung sub tit. von der Straffe der Unzucht und Ehebruchs. Et in Ordinatione matrimoniali de anno 1615. von Ehe-Sachen punct. 4. vers. da einer eines andern Weib beschlieffe.

83 Jure Wurtenbergico adulterium prima vice commissum non criminaliter, sed tantum à Præfectis ex officio carcere punitur, & pœnitentiâ publicâ peractâ Rei tanquam infames ab omnibus

mnibus honestorum virorum consortiis repelluntur. In quo Jus Wurtenbergicum seculi mores imitatur. Hodie enim plurimis in locis adulterium prima vice commissum, non morte, sed tantum extraordinaria & arbitrariâ pœnâ coercetur, uti tradit Besold. *part.4.Cons.76.num.2.*

Si vero semel secundum dictam Constitutionem punitum, ab aliquo fuerit repetitum & reiteratum, tunc olim in Ducatu Wurtenbergico Reus quidem criminaliter accusabatur, sed tantum in Numellis positus in perpetuum exilium mittebatur. Würtenberg. Landes-Ordn. *tit.94.§.3.* Hodie vero ultimo supplicio, nimirum gladio punitur. *Novell.Constitut. Würtenberg.I. de anno 1586.§.17.* Wofern sie aber.

Et hoc procedit sine distinctione inter masculos & fœminas conjugatas aut solutas personas, & utraque persona ultimo supplicio afficitur. *dict.Novell.Constitut. Würtenberg.I.§.* Den Ehebruch belangend. *16.& seq.17.* Landes-Ordn. *tit.94.§.5. ibi*: So auch ein lediger Mann oder Gesell mit Eheweibern; auch ledige Frauen mit Ehemännern sich im Wercke der Unkeuschheit verwürcket/sollen dieselbige Ledige/gleich wie die Eheleute gestraffet werden.

Wolffg. Adam Lauterbach. *in Differ.Jur.Comm. & Würtenb. disp. ult. tit.19.p.m.202*

FINIS.



DISCURSUS JURIDICO-PHILOLOGICUS De HERMAPHRODITIS.

CAPUT I.

De Etymo ac Origine Hermaphroditorum.

HErmaphroditi propriè dicuntur ii, qui ſexu ſunt indiſtincti, nimirum, qui vel neutrum, vel utrumque habere videntur; licet etiam Hermaphroditus is dicatur, qui turpiter & facit, & patitur adverſus & averſus impudicus, uti docet Suidas in voce ἑρμαφρόδιτος.

Fingunt autem Poetæ Hermaphroditum Mercurii & Veneris filium fuiſſe, ſicuti hoc ejus nomin indicat, ἑρμῆς enim Græcis Mercurius & ἀφροδίτη Venus dicitur, quoniam Venerem à Mercurio compreſſam autumant talem prolem genuiſſe, quæ ſexum utrumque participarit, ſicuti apud Ovidium *lib. 4. Metamorph.* videre eſt, dum ſcribit:

Meecurio puerum & divâ Citheride natum
Najades Ideis enutrivere ſub antris,
Cujus erat ſpecies, in quâ materque paterque
Cognoſci poſſent, nomenque traxit ab illis.

Item:

Nec

Nec duo sunt, sed forma duplex, nec fœmina dici,
Nec puer ut possit, neutrumque & utrumqve videtur.

Tametsi eundem ex Mercurio & Salmacide, unâ Nympharum Najadum genitum dicat Petrus Gregorius *in Syntagm. Jur. univ. l.7.c.2.n.8.* Mercurius enim cum varias regiones peragrasset, in Cariamq; ad limpidissimum fontem pervenisset, in quo Salmacis nympha morabatur, illius singulari pulchritudine Salmacis accensa, cùm ad mutuum amorem nullâ arte eum excitare potuisset, simulato recessu post dumeta latuit, ille verò nympham abiisse ratus, vestimentis exutus, ut in fontem se immergeret, circa illum gestiebat ludibundus, quem cum nudum Salmacis aspiceret, divinamque intueretur pulchritudinem, exarsit, subitoque accurrens in fontem prosiliit, atque illum arctissimè complexa est; & ilico, ut Salmacis à Diis petiit, illorum corpora in unum promiscuum coaluerunt, maris & fœminæ genitalia gestans, ex hocq; Hermaphrodito, omnes Androgyni Hermaphroditi appellati sunt.

Talem Hermaphroditum etiam, si Mythologica tradita pervolvimus, Tiresiam fuisse constat, qui utroque sexu pollebat, adeò ut arbiter designatus fuisset à Jove & Junone, ad definiendam quæstionem inter eos suscitatam de intensiore delectatione in Venereis, tanquam expertus utriusque generis sortem, ut cum Fulgentio. *lib.2. Mytholog.* Ovidio, *lib.3. Metamorph.* & Luciano, *in Dialog. Menippi & Tires.* tradit Tiraqvellus, *in Leg.9. Connub. num.115.* Et quamvis Poetæ dixerint Tiresiam ex percussione colubrum coeuntium, jam in fœminam, jam in virum transformari, ut notat Bauhinus *in tractat. de Hermaphroditis lib.1. cap.36.* quæ fabulosa sunt, sub historia Tiresiæ Hermaproditi conficta, ut Natalis Comes, & cæteri Mythologi fatentur. Quin & ipsum Jovem Hermaphroditum tradiderunt Poetæ, ut colligitur ex Orphei hymno, ibi,

Jupiter & mas est, & nescia fœmina mortis.

de quo postquam plurimos filios genuisset, referunt, quod mox gravidus factus, Palladem amatam, peperit, ut narrat Natalis Comes *lib.2. Mytholog. cap.1.* Et licet hæc referri possent ad ea quæ ve-

rè de natura divina dicuntur, nempe quod perfectionem utriusque ſexus comprehendit; non idò negari poteſt, quod antiqui Philoſophi, dum has fabulas componebant, crediderunt in eodem Subjecto poſſibilem concurſum utriusque ſexus.

Dicuntur etiam Androgyni, ab ἀνὴρ Vir, & γυνὴ, mulier, quaſi mariſœminæ, quod de utroque ſexu, maſculino & fœmineo participent: Vocant itidem eos διφυεῖς, & ἀνδρόθηλυας, & ἀρσενόθηλυας.

Tales populos in Africa fuiſſe, quos Androgynos vocarunt, teſtatur Plinius *lib.7. Natur. Hiſtor. cap.2. & 3.* Quales etiam ab initio omnes fuiſſe homines, & cum fœminis viros dorſo conjunctos, poſtea diviſos fuiſſe ſcribit Plato *in Sympoſ.* hincque mutuum ſexuum inter ſe amorem, in repetenda priori conjunctione: verba ejus ſic habent, ἀνδρόγυνον γὰρ ἕν τότε μὲν ἦν, καὶ εἶδος καὶ ὄνομα ἐξ ἀμφοτέρων κοινὸν τοῦ τε ἄρρενος καὶ θήλεος, νῦν δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἢ ὀνείδει τοὔνομα κείμενον. i.e. *Androgynon autem tunc quidem erat, una & ſpecies & nomen ex utroque compoſitum, maſculo & fœminâ, nunc autem non utiq; ſed exprobrationi nomen inſeruit.* Legerat enim forſan Plato hominis creationem, & mulieris formationem ex coſta Adami, quam cùm male intellexiſſet, vel ſe legiſſe ſimularet, lapſus eſt in eam fictam conjunctionem. Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. univ. lib.7. cap.2. n.6.* Quæ tamen Platonis opinio, utpote S. Scripturæ contraria, merito explodenda. Nec enim ferenda eſt hæreſis ſub Innocentio III. orta, quæ, ut teſtatur Martinus Polanus *in ejus vita.* aſſeverare non erubuit, ſexus ante peccatum primi parentis, non fuiſſe diviſos, detorqventes illa Geneſeos cap.1. *Maſculum & fœminam creavit eos.* Verba enim hæc diſtributivè ſunt accipienda, & ideò pluralis numerus continuò ſubjicitur, quaſi diceret Moſes, Deus creavit non ſolum unum, ſed duos homines, & in duplici diverſoq; ſexu; quare maſculum & fœminam creavit eos. Exterminanda itaq; iſta deliria & conſimilia exiſtimantium, Adamum Androgynum fuiſſe; Hæc enim non multum deviant à fabuloſo antiquo errore Protagoræ apud Platonem, fabulantis & aſſerentis, ſicuti ante dictum, hominem à naturâ fuiſſe factum Androgynum, anticâ parte virum, poſtica fœmi-

fœminam, & divisum postea à Prometheo, quia opifici commodius visum sit, ut dejunctæ partes, umbone unirentur.

Multum autem ad stibiliendam hanc erroneam hæreticorum opinionem facere videntur hæ sequentes rationes: (1) Quod ante Evæ formationem fœmina in viro fuerit, & ab ejus latere desumpta, unde *Genes. cap. 5. v. 13.* ipse Adam, cùm primum Evam uideret, Hoc, inquit, est os de ossibus meis, & caro de carne mea; certè Adam utramq; in se naturam habebat, fœmininam & masculinam; & ita etiam statuere videtur Hucher *de sterilitat. lib. 3. cap. de Hermaphroditis.* his verbis ; Hæc sexuum mixtio in Adamo non fuit, tametsi sexto die creatus ipse sit mas & fœmina, de cujus latere fœmina avulsa sit. (2) Quod omnino palam sit, Adamum primò solum absque fœmina fuisse creatum, non ut alia animalia, quæ omnia in distinctos sexus creata sunt; unde statim illis à supremo illo opifice, virtus generativa insita est, uti hoc expresse post eorum creationem verba sequentia in Sacro Codice innuunt: *Benedixitque eis Deus, dicens, crescite & multiplicamini.* Si itaq; Deus cætera animalia per generationem propagari voluerat, & in eum finem distinctos eorum sexus creaverat, non erat conveniens solum hominem creasse generativa facultate orbatum, qui ob id neque crescere neque multiplicari posset; proptereaq; dicendum, Adamum ita creatum fuisse, qui in se & ex se generare & multiplicari posset: unde eâ de re apparet in Sacris literis, Adamum absque fœmina creatum, masculum & fœminam fuisse, & crescere ex se ac multiplicari potuisse: ita enim verba creationis sonant: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos, Benedixitque illis Deus, & ait, crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, &c.* (3) Apparet insuper post creationem, Adamum solum in Paradiso positum, eique soli præceptum datum, non comedendi de ligno scientiæ boni & mali: Deinde Deum, quod non esset bonum Adamum esse solum, formasse Evam. Unde concludendum videtur Adamum fuisse Androgynum, & ea verba masculum & fœminam fecit eos, de solo Adamo tunc primum à Deo creato, intelligenda esse. (4) Quod in sacro textu non frustra

adjectum sit, *ad imaginem Dei fecit illum*, quia sicut Deus, quamlibet formandi virtutem habet, & creandi animalia, ut mas & fœmina simul mixti, unde illud Orphei apud Apulejum de mundo, supra adductum.

Jupiter & mas est & nescia fœmina mortis.

Sic Adam ad ejus similitudinem, creatus est mas simul & fœmina, sexusq; indistincti, ut haberet potestatem ex se & in se generandi, non ut alia animantia, quæ nullam hujusmodi potestatem habent per se, sed tantum cum compare mixta. Sed his nugis facilè responderi potest; Et quidem quoad textum sacrum, loqui ibi historiam per anticipationem; primò enim narrat creationem, per epilogum, dicens, Deum creasse hominem masculum & fœminam; deinde magis per extensum narrat, qua ratione hominem masculum & fœminam creasset; erat enim quædam ratio particularis, quâ creati fuerunt; non enim ut cætera animalia sunt progeniti; de quo, *ne nimis prolixus in hac re sim*, videantur ea, quæ in hunc locum, & pro responsione ad tam absurdam opinionem affert Nicol. de Lyra *cap.* I. *v.* 27. & ad rationem, quod non videretur conveniens, Adamum solum inter alia animantia creatum fuisse generativa facultate privatum, respondetur, Adamum fuisse à Deo creatum, sed ita ut ex eo desumeretur & formaretur Eva, cum qua postmodum generasset; & cur oportuerit ita & non aliter fieri, declarat D. Thomas I. *part. summ. qu.* 92. *art.* I. Et ad illam tandem rationem de similitudine hominis cum Deo, dicendum, non respicere hanc similitudinem virtutem generativam, neque Deum fœminam aut marem esse; Orpheum autem poeticè & allegoricè locutum fuisse constat. Ex quibus jam concludendum, omnino falsum, imò ridiculum esse, asseverare Adamum fuisse Androgynum. Tandemque quis non videt, ejus opinionis vanitatem, quod Adam creatus fuerit mas simul & fœmina, ut in se & ex se generare posset? nam ad quid hoc? nonne oportebat Adamum Androgynum ab alterius semine in se generare, & ex se ac proprio semine generare in alio? nunquam si mas simul & fœmina fuisset Adam, potuisset in se ex proprio semine generare? Sed ut ante dictum, nugæ sunt, & indignæ quibus tempus insumatur.

De

De Hermaphrodito extat Epigramma ænigmaticum Pulicis lectu jucundum:

Cum mea me genetrix gravidâ gestaret in alvo,
Quid pareret, fertur consuluisse Deos.
Mas est, Phœbus ait, Mars fœmina, Junoque neutrum
Cumque forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti lethum, sic Juno ait, occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, sors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas, ascendo, decidit ensis,
Quem tuleram casu, labor & ipse super,
Pes hæsit ramis, caput incidit amne, tulique
Fœmina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Huic consimile est illud

γραμματικοῦ θυγατὴρ ἔτεκεν φιλότητι μιγεῖσα
παιδίον ἀρσενικὸν θῆλικον, οὐδέτερον.

Id est:

Filia Grammatici peperit commixta marito
Masclinam, neutram, fœmineam sobolem.

Quo allusisse videtur Ausonius:

Ruffus vocatus Rhetor olim ad nuptias,
Celebri fit ut convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis.
Et masculini & fœminini gignite,
Generisque neutri filios.

CAPUT II.

De Distinctione & Specibus Hermaphroditorum.

HErmaphroditos varii variè distingvunt, variasque eorum species constituunt.

Nonnulli quadruplicem eorum differentiam ita esse volunt. Primo Hermaphroditos masculos, qui virilem sexum perfectum & potentem habent, in perineo excisam tantum in vulvæ formam rimam, minimè tamen perviam, ita ut ab illa nihil nec urinarii nec seminalis humoris procedat. Hi imperfecti Hermaphroditi sunt, cùm alterum genitale inutile habeant; de quibus Ulpianus in *l. sed est quæsitum. 6. §. Hermaphroditus ff. de liber. & posthum. ibi, si in eo virilia prævalebunt, posthumum hæredem instituere poterit.*

Secundò, Hermaphroditos fœminas, quæ præter vulvam naturaliter constitutam, & seminali menstruoq; fluxu manantem, supra ad os pectinis, carneam quandam membri virilis similitudinem habent, arrectionis & profusionis seminis tamen impotentẽ, scroto & testiculis carentem: qui pariter imperfecti Hermaphroditi sunt, & inter fœminas connumerantur, quia sexus fœmineus in iis prævalet, ut ait idem Ulpianus, *in l. quæritur. 10. ff. de stat. homin. ibi, & magis puto ejus sexus æstimandum, qui in eo prævalet.* & Paulus *iu l. repetundarum. 15 ff. de testib. ibi, qualitas sexus incalescentis ostendit.*

Tertiò eorum, qui etsi utriusque sexus expressam habeant imaginem, una tamen adverso situ posita, inefficax ad generationem & seminis profusionem minctionemque invenitur; & hi neque viri, neque fœminæ sunt, sed inter Spadones connumerari debent, de quibus Modestinus in *l. 2. §. illud ff. de adopt. ibi, qui generare non possunt, qualiter sunt Spadones.*

Quartò eorum, qui utroque sexu valent, marisque & fœminæ munia potenter obeunt, propterea quod utraque genitalia omnibus numeris ad generationem necessariis completa & perfecta habeant, imo & mammam dextram mari, sinistram fœminæ similem; & hi sunt veri Hermaphroditi, de quibus *glossa in c. si teste 3. §. Hermaphroditus verb. ad testimonium 4. qu. 2. & 3.* Tradunt hanc differentiam Baldus *Consil. 237. lib. 3.* Cœl. Rhodiginus *Antiq. Lect. lib. 15. cap. 10. ad fin.* Pier. Valer. *lib. 18. Hieroglyph.* Dominicus Terellus

rellus *lib.4.generat.animal.c.4.* Hieronymus Montuus *l.1. Theoric. c.6.* Parmenides *lib.1.de natura* Jacob Ruffinus, *lib.5.de part. cap.3.* Alderovandus *tract.de monstris cap.1.de homine p.* 41. Ildephonsus Perez de Lara *in Compendio vitæ hominis cap.11.n.19.* Torreblanca de Magia *lib.2.c.17.n.21.& seqq.* item, *de Jure Spiritual. lib.5. c.9.n.6. & seq.* Alphonsus de Caranza *in tract.Juridico de partu naturali & legitimo c.17.n.67.* Casp.Schottus *in Physica Curiosa lib.3.c.10, p.m.397.* & hos fore omnes referens Laurentius Matthæu & Sanz JCtus Valentinus *in suo tract. de Re Criminali Controvers.48.n.6. & seqq.*

Alii tres species Hermaphroditorum in viris & unam in fœminis constituunt. In viris prima est, cum in perineo, hoc est, sub radice penis, in spatio, quod est inter ipsum, seu inter scrotum & anum, pudendum muliebre conspicuum est. Secunda species est, cūm idem pudendum muliebre apparet in scroto, habens exile foramen, à quo nihil omnino prodeat. Tertia species est, cùm ibidem existente eodem pudendo muliebri, ex ejus orificio urina effunditur, aut etiam aliqua excretio menstrua. Et has species Hermaphroditorum considerari volunt in viris, quia sic constituti pro viris habendi. Quarta species, quæ in fœminis consideratur (cum sic constitutæ fœminæ verè sint) est, cùm in superna parte pudendi muliebris nempe in ima pube, ubi magna pudendi rima suum sumit principium, penis aliquis, vel quid peni simile apparet.

Paulus Zacchias in Quæstionibus Medico-Legalibus *lib.7. tit.1.quæst.8.n.4.* ita eos distingvit, & quidem quadrupliciter. Primò à conformatione genitalium: Secundò à situ eorundem: Tertiò à potentia coeundi: Quartò à potentia generandi.

In prima specie, quæ est à conformatione genitalium, rursum distingvuntur Hermaphroditi tripliciter; aut enim neutrum sexum, ut natura requirit, recte constitutum habent: aut utrumque recte constitutum habent; aut unum naturaliter rectè conformatum, alterum vero non habent.

Eorum qui neutrum sexum recte conformatum habent, tria exempla refert Experientissimus Medicus, Johannes Schenckius *l.4.observ.Medicinal.in princip.* quos ipse viventes considera-

vit: Verba ejus de his hæc ſunt. Erat Æthiopica mulier, earum quas Cingarus appellant Longobardi, hæc neque agere neq; pati commodè poterat; nam uterq; ſecus imperfectus illi contigerat, ſuo magno malo: penis namque minimi digiti longitudinem craſſitiemque non excedebat: vulvæ autem foramen adeo anguſtum erat, ut minimi digiti apicem vix intromitteret: optabat miſera, ut hunc illi penem evellerem, quippe qui ſibi impedimento eſſe diceret, dum cum viro coire exoptabat; optabat etiam ut vulvæ foramen illi amplificarem, ut viro ferendo idonea eſſet. Ego verò, qui horum vaſorum diſcrimen intueri ſæpius cupiebam, verbis detinui; Non enim ſum auſus aggredi illius cupiditati ſatisfacere, quoniam id abſque vitæ diſcrimine fieri non poſſe exiſtimabam.

Alterum eſt de Hermaphrodito viro, de quo ſic ſcribit: Hermaphroditus vir, quem vivum ſumma diligentia inſpexi: hoc modo habebat; penis aderat cum ſcroto teſtibusque, ſub quibus in perineo ſeu tauro, quo loco (inter anum ſcilicet & teſtes) fit ſectio pro extrahendo veſicæ lapide, foramen quidem proſtabat in vulvæ morem, ſed non penetrabat.

Tertium eſt in puella, de qua ita habet: Vidi corpus puellæ, annorum circiter octodecim, omnibus, veſtitu nimirum, capillis & habitu univerſo puellam præferentem; cum puellis cubantem, & perpetuò ut ancillam elocatam: Quæ peſte mortua, cum ectimatibus multis & magnis atque lividis, inter alia reperta eſt habere duos teſticulos amplos, membrum virile amplum. pubeſcebat pubes pilis nigricantibus; exiſtimabatur puella, quia per parvum foramen ſub cole, qua parte adhærebat pubi, mingebat. Aperto corpore nulla matrix viſa eſt, ſimilis aliis maſculis. Videbatur etiam rem cum puellis habuiſſe, præputium enim facillimè detegebatur, nulla ſordities circa balanum, mammæ nullæ, diſſecto cole nervi duo ampli poroſi, urinarius ductus nullus. *Hæc Schenckius dict. loc.*

Utrumque autem ſexum recte conformatum habent, vel ſaltem habere videntur ii, qui in utroque ſexu ſunt potentes, qualem hiſtoriam ex Montuo refert prælaudatus Schenckius *loco ſu-*

to supra citato, de Hermaphrodito qui sequioris sexus seu muliebris putabatur, viroq; nupserat, cui filios aliquot & filias peperit, nihilominus tamē ancillas comprimere, & in his generare solebat.

Sic supra Nasamonas confinesque illis Machlyas, Androgynos esse utriusque naturæ, inter se vicibus coeuntes, Calliphanes tradit; Aristoteles adjicit, dextram mammam iis virilem, lævam muliebrem esse. Plinius *Natur. Histor. lib. 7. cap. 7.*

Notabile etiam de tali Hermaphrodito exemplum habuimus in Novellis Germanicis, ni fallor in anno 1686. sub dato Graffenhage de 30. Julii, quod in Germanico idiomate sic habebat: Zu Leyden hat sich verwichene Woche ein seltsamer und wuderlicher casus zugetragen: Nemlich eine Frau/die vor diesen einen Mañ und 2. oder 3. Kinder dabey/und selbst mit ihren Brüsten auch gesäuget hat/nach der hand ihr Mann nacht Ost-Indien gefahren/ist diese Frau ins Waysenhauß zu Leyden/als ein Zuchtmeisterin über die Waysen-Mägdchens/bestellet / so hat sich zugetragen / daß von den grössesten und ältesten Waysen-Mägdchens von 16. 17. bis 18 Jahren alt/einige Zeit hero/ wol 3. 4. oder mehr seyn schwanger worden: Die Mägdchens nach gehaltener Examination alle einmüthig bekand/ daß diese Zucht-Meisterin der Vater davon sey. Die Frau/ welche man geexaminiret und gevisitiret/hat man befunden/daß sie ein Hermaphrodit oder halb Mann und halb Frau ist; welche auch bekandt / daß sie solches gethan / ist darauff ins Spinnhauß zu Leyden gesetzt/und wird ehestes Tages ihr der Proceß gemacht werden.

Eorum, qui unum sexum tantum naturaliter constitutum habent, alterum vero non, frequentiores sunt, & exempla multa tam à Physicis quam à Medicis ut & ab Historicis referuntur, & multa à Julio Obsequente *in tractatu de Prodigiis*, recensentur, indeque aliqui sunt mares, aliqui fœminæ, secundum eum sexum qui in illis prævalet.

II. Distingvuntur Hermaphroditi à nonnullis à situ genitalium: Alii enim sexum unum sub alio positum habent, nempe vel masculinum sub fœminino, qualem Hermaphroditum memorat Rueffus *lib. 5. de generat homin.* & Bauhinus *lib. 1. de Hermaphroditis.* vel fœmininum sub masculino habent, ut plerique habere solent.

solent. Alii vero sexum utrumque habent à lateribus positum; & hic notant Medici, quod sexus in quo prævaleat, & quem ratum habent, semper à dextris situs sit, irritus verò à sinistris. Hujusmodi Hermaphroditi historiam refert Zacchias *supra citat. loc. n. 8.* de quodam, nomine Daniel, qui uxore ductâ, nunquam cum ea congredi potuit, interim vero à quodam commilitone imprægnatus, noctè intempestâ, cum uxore accubans, ventris doloribus, partum præcedentibus, fœmellam enixus est, quam solum dextrâ mammillâ lactavit, sinistra lacte carente; erat enim huic ratus sexus nempe fœmineus, à dextris, masculus irritusque à sinistris. Alii denique unum sexum in alio habent. Hi tamen plerumque imo semper fœminei sexus sunt: in ipso enim utero, ubi Clithoris apparet, vel etiam post urinarium meatum intra progrediendo, vel insignem Clitorim, vel aliquid simile membro virili obtinent. Historias de hujusmodi recenset duas Zacchias *in quæst. Medico-Legal. lib. 7. tit. 1. quæst. 9. n. 16. & 17.* Erat muliercula quædam, quæ genitales partes ita constitutas habebat: Intra uteri labra, supra meatum urinarium, versus internum uteri osculum procedendo, carnosa quædam moles conspiciebatur, speciem virilis membri præ se ferens, crassitudine virilis mentulæ mediocris crassitiem excedens, longitudine cum exserta erat, quinque transversorum digirorum quantitate: in summitate corpus apparebat virilis membri glandi respondens, sed præputio destituebatur, cujus vicem ipsa uteri pterygomata supplere videbantur, à parte superna callosæ erat substantiæ, Glans, ut ita dicam, transversaliter perforata erat, als einem Dveerflöter/ sed orificium minimum penè digitum admittebat; per hoc nulla urina reddebatur, sed per meatum, unde cæteris fœminis solet effluere. Menstrua illi, ut referebat, partim per hoc ipsum orificium, partim sub eo ex intimiore & inferiore uteri parte prodibant; nam sub hac carneâ mole pervius erat meatus valde exilis, qui indito in ejus molis orificinm per siphonem vino, mulso aut alio quovis liquore, conspicuus fiebat, per eum enim is liquor ex parte cum flatu quodam prodibat. Nymphæ hinc inde ab uteri labris admodum exiles erant. Moles hæc, quicquid

quid esset, intra pudendi labra delitescens, vel tussiente vel ridente mulierculâ, ad duorum digitorum transversorum quantitatem foras exiliebat, cum verò arrigebatur, densa ac dura, ut retulerunt, evadebat, & in majorem molem excrescebat. Eâ mulieres alias se compressisse fatebatur, & per illam se semen emisisse. Tunc temporis per glandis hujusce orificium veluti gonorrhæam patiebatur, & in ipsa glande ulcuscula apparebant, nullo dolore insignia; nam Chirurgus absq; ulla mulieris molestiâ, & foras molem illam manu educebat & intrò impingebat. Cùm iniretur, ut ipsa enarrabat, mentulæ virilis glans, in suam ipsius glandem impingens, membrum muliebre ad uteri interiora claustra impellebat, ex hoc factum est, ut trudente membro virili glandem muliebrem ulcera & gonorrhæam contraxerit. Aspectus fœminæ hujus muliebris, sed vox crassiuscula, mammæ etiam crassiusculæ, ac inter se pares, nec vultu erat ingrato. Pudendi rima non magna, imò mediocri minor. Clitoris quam minima. Patria erat Vicentina, nomen illi erat Franciscæ. Hanc fœminam nonnulli viri doctissimi Hermaphroditam esse voluerunt, & molem illam carneam virile membrum esse; alii voluerunt hanc pati uteri procidentiam & molem illam esse uteri fundum inversum.

Secunda historia hæc est: Scortum vivit adhuc Romæ exoletum, non ingrato aspectu, habitus succipleni, statura mediocri, calidioris temperamenti, cui nomen est Elisabethæ, patriâ Urbinas, ætatis annorum quinque supra quadraginta, quo nullum alium Hermaphroditum sexum habere utrumque tam bene distinctum vidi. Constituebatur autem, quo sequitur modo: Uterum quoad externa optimè conformatum habebat, mediocrisque magnitudinis, quin etiam diductis labris, nihil se in conspectum dabat, quod à cæteris fœminis distabat, in ima tantum parte ipsius uteri prope perineum labris diductis levis quidam ac vix perceptibilis tuberculus apparebat, qui fœmina in Venerem accensa, sensim succrescens, in verum penem evadebat, cujꝰ longitudo, ad quinq; transversorum digitorum mensuram & summam ascendebat, crassitudinis erat pollicaris ac fortè crassioris, glandem absque præputio habebat ex carne molliore ac spongiosa,

giosa, sed imperforatam, tanta verò duritie erectus, ipse penis constabat, ut nullum virilem penem illi in duritie æquiparandum existimem. Ad ejus radicem duo corpuscula glandulosa, veluti testes, fabam mediocrem communem æquantia extabant: Pueros & puellas calcandi erat avidissimum, & animo erat virili & mascula audacia prompto: Filios nunquam concepit, à congressoribus iniri, ubi erecto pene persisteret, nullo modo poterat. Bis terve illud contemplatus, expertissimum Chirurgum Nicolaum Larche ad illud invisendum convocavi. *Hæc Zachias d.l.*

Tertiò distingvuntur Hermaphroditi juxta laudatum Zacchiam à potentia coeundi: nonnulli enim in utroque sexu impotentes sunt, quemadmodum supra adducta Cingara: nonnulli in utroque sexu valent, uti adductum exemplum ex Schenckio de Androgyno, qui ex viro filios concepit & peperit, & rursus ancillas compressit, & in his generavit, & multi alii: nonnulli in alterutro sexu tantum valent, quorum exempla frequentius in historiis occurrunt.

Memorabilem de duobus Hermaphroditis in utroque sexu potentibus, qui inter se invicem matrimonium contraxerunt, Historiam refert Laurentius Mattheu & Sanz *in Tractatu de Re Criminali. Controvers. 48. in princip. his verbis*: Publicè ferebatur per hanc Regiam urbem Anno 1663. quod in uno ex oppidis Regni duo Hermaphroditi nati fuere, quorum unus educatus fuit sub habitu & specie viri, alter verò sub habitu & specie fœminæ. Ii sive scientes, sive ignorantes alterius conditionem, matrimonium in facie Ecclesiæ contraxerunt, minimè detecta illa qualitate Parocho aut Prælato Diœcesano. Ex promiscuo usu Veneris, ambo eodem tempore in utero gestantes inventi fuerunt. Qui sub specie & habitu viri contraxerat, prudenter, ut scandalum atque erubescentiam vitaret, ad hanc urbem se contulit, ubi sumpto habitu fœmineo, puerpera factus fuit.

Quartò distingvuntur à potentia generandi: licet enim utplurimum veri Hermaphroditi non generent, quia si in sexu masculino prævalent, frigidiores tamen cæteris masculis sunt, & idcirco utplurimum imberbes & glabri: si in fœminino, calidiores quam oporteat, unde menstruis destituuntur, uti tradit Marcellus

cellus Donatus *lib. 6. suæ histor. med. mir. cap. 2.* tamen hoc non est perpetuæ veritatis, quia nonnulli cum masculino, alii cum fœminino sexu genuerunt. Paul. Zacchia *dict. quæst. Medico Leg. d. lib. 7. tit. 1. qu. 8. n. 8.*

Non autem solum inter homines, sed etiam inter bruta animantia Hermaphroditi reperiuntur. Sic refert Cardanus *de Rerum Varietate lib. 7. cap. 33. p. m. 343.* se vidisse Antverpiæ equum Hermaphroditum, ejusque formam sic describit: *Unum habebat tantum testem loco proprio, cum mammis tumidis ut equa habent: inde vulvam proprio loco, & ex vulva penis emittebatur: hinniebat ad equas, & forma masculina erat, promptus & erectus capite, crassiore autem corpore, colore griseo ut vocant, caput magnum, penis non major palmo, cum illum exereret, emptus aureis triginta sex, certum erat, cùm averso erat pene, coire illum non potuisse.* Sicuti & Neronem equas habuisse Hermaphroditas testatur Plinius, *Natur. Histor. lib. 10. cap. 49.* Sic etiam refert Paul. Zachia *quæst. Medico Legal. lib. 7. tit. 1. quæst. 9. num. 15.* se vidisse Romæ anno 1621 asinum Hermaphroditum, qui utroque sexu insignitus fuit, deque eo sequentia scribit: *Membro dotabatur satis crasso, ut asinina natura fert, sed obtorto, quale Hypospediæi habent; sed & vulvam sortitus erat, quantum ad extra promittebat, optime efformatam, ejus tamen orificium minimum digitum admittebat; situs utriusque genitalis, qui aliis est familiaris; sub podice enim rima magna extabat, quæ à superiori parte versus caudam per medios usque testes ad membri dimidium protendebatur, sed consvetum spatium prætergressum superficialiter tantum incidebat, ita ut membri dimidium quasi fissum in postica parte ab eadem rimâ appareret, & unicam rimam cum rima magnâ hæc fissura effingeret. Urinam non modo per penem sed etiam per vulvam emittebat, arrigebat & asinas calcabat, sed inire eas non poterat ob prædictam membri tortuositatem.* Similia etiam refert de agno Hermaphrodito Jul. Obsequens *de Prodigiis num. 26.* de Sue, Majolus *dier. cunicular. coll. 1. part. 1.* de Cervo Hermaphrodito & leporibus hermaphroditis Langius *Epist. 70. tom. 1.* & multi alii de aliis animalibus.

Et hi fuerunt Hermaphroditi propriè sic dicti. Dantur præterea etiam Metaphorici, seu per Metaphoram ita dicti, qui Neutralistæ vocantur, quorum numerus in quoque vitæ genere & statu

ſtatu ſat multus habetur; & ſicut in quovis vitæ genere maximè ſunt infenſi Hermaphroditi ſeu Amphibii, ita omnium maximè in puncto religionis odio ſunt habendi. Et tales Neutraliſtas Dn. Harsdorfferus *part. 1.* weltlicher Lehrgedichte *n. 102.* in genere vocat Politiſche *Hermaphroditen*. Referente Burgoldenſe *ad Inſtrum. Pacis part. 1. diſcurſ. 1. p. m. 80.* ubi plura de hujusmodi Neutraliſtis habet & inprimis faceta quædam de Sereniſſimo Principe Heroe illuſtriſſimo CHRISTIANO, Duce Brunſvicenſium & Epiſcopo Halberſtadenſium, quem ipſe vide & lege.

CAPUT III.

An dentur Hermaphroditi, & de Signis diſtingventibus Hermaphroditum marem ab Hermaphrodito fœmina.

HErmaphroditos nunquam in rerum natura inventos, ſed mera figmenta eſſe tradit Clemens Alexandrinus *in Pædagog. l. 2. c. 10.* Et licet is *lib. 3. de Pædagog. c. 3.* mentionem faciat Androgynorum, tamen per hos ibi intelligit non Hermaphroditos, ſed viros effœminatos, cultos, formâ & Veneri deditos, ſic enim ibi, *Quid de his*, inquit, *dixerit quispiam, qui tanquam Metoſcopus ex figurâ divinat, cum eos viderit adulteros, Androgynos atq; effœminatos, utriq; Veneri deditos, pilis infeſtos, glabros, florem virilem abhorrentes, comas autem non ſecus ac mulieres ornatos*: & mox: *Pilos tingere & canos ungere ac coloribus oblinere, quibus perditi Androgyni effœminatique homines utuntur.*

Verum Alexandrinum hâc in re valde erraſſe perſpicuum eſt; & contrarium, nimirum Hermaphroditos dari, tam Medicorum quam Hiſtoricorum libri ſatis apertè teſtantur, & ſupra in

capite

capite secundo adducta exempla probant; ut ita de hoc ullam dubitationem aut disceptationem suscipere plane supervacaneum sit.

Signa autem distingventia Hermaphroditum virum ab Hermaphrodito fœmina ex Medicorum scholis petenda, qualia multa refert Bauhinus de Hermaphroditis *lib. 1. c. 4.* & Riolanus *de Hermaphroditis cap. 16.* Ex quibus pauca tantum perlustranda duxi: Et desumuntur hujusmodi signa ex mole vasorum, ex eorundem conformatione, ex naturali situ, ex viarum latitudine & angustia, ex adnascentibus pilis, ex incalescentia majori aut minori. Ratione molis, semper sexus ratus est conspicuus, qui irritus verò minus conspicuus. Sic etiam sexus, qui prævalet in conformatione ad naturalem formam, semper magis accedit & perfectior est, contra vero est in altero sexu. Sic quoq; prævalens sexus semper naturalem ac sibi debitum situm servat, imperfectus vero nequaquam: unde fit, quod ratus sexus semper à dextris, irritus verò à sinistris sit in his, qui eos lateraliter positos habent: & in his, qui unum habent sub alio, superior ratus, inferior irritus. Pili in perfecto conspicui sunt copia & quantitate, in imperfecto vel nulli, vel copiæ & quantitatis nullius momenti. In rato sexu vel potentiore, viæ perviæ & patentes, ac penetrabiles, in irrito ac impotenti imperviæ, angustæ & minime penetrabiles.

Præterea etiam ex habitu corporis hæc signa æstimantur & demonstrantur: Habitus enim corporis virilis, vox gravis & sonora, animus ad virilia pronus, impiger & affectibus viro dignis excitatus, pili in mento, in perineo seu tauro & ano, mammæ exiles, pectusve ex carne, capitis capilli hirti, breves & duriusculi, urinæ per penem excretio & multo magis seminis, testes propendentes & non prorsus non spernendæ magnitudinis, aut saltem ingvinibus adhærentes, penis convenienti magnitudine compositus & validè ac alacriter arrigens, semineque manans, virilem sexum demonstrant, & hujusmodi constituti plane viri pronunciantur. Contra verò habitus corporis muliebris, mollis & delicatus, vox exilis, animus demissus & passionibus muliebribus obnoxius, pili nulli in mento, perineo & ano, mammæ turgidulæ & pectus carnosum, capilli capitis promissi, tenues, molles, longi, uri-

gi, urinæ per consvetas muliebres vias excretio, vulva sic ad amussim, omnibusque suis dimensionibus exacta & pervia, ut virile membrum admittere possit, per eandemque menstruorum suo tempore facta expurgatio, vel apparens etiam sangvinea evacuatio, testes nulli, nullumque alicubi eorum vestigium se prodens, indicia certa fœminini sexus sunt, & sic constituti pro fœminis habentur.

Quod si vero par sit utriusque genitalis in figurâ, mole, & efficacia conformatio, utriusque sexus potens Hermaphroditus censetur. Zacchia *Quæst. Medico-Legal. lib. 7. tit. 1. qu. 8. num. 16. & 17.* Schenckius *Observ. Medicinal. lib. 4. in princ. p. m. 574. b.*

CAPUT IV.

De Caussa Hermaphroditorum.

CAussam Hermaphroditorum Astrologi influxum siderum esse volunt, & dicunt, tunc præcipuè in utero materno formari Androgynos, quando tempore conceptionis in signis bicorporeis, cujusmodi sunt gemini & pisces, Veneris & Mercurii conjunctio fit. Jovianus Pontanus *de Rebus cœlestibus lib 10. c. 5.* tale judicium fert: Saturnus in culmine positus & Mercurio pariter conjunctus, si Dominus genituræ aut vitæ dator adversabitur, malaque Martis irradiatio accesserit, præterquam quod Paraliticos, gibbosos atque incurvos facit, faciet etiam aliquando Hermaphroditos: *moxque subjungit*: Quod igitur ad Hermaphroditos atque Androgynos pertinet, quando Mercurii stella versatilis, at penè dixerim promiscua est, sive qvod Veneri copulata, vires ejus augeat, ad progignendam fœminam, sive quod in illarum favorem proclinet stellarum, quæ masculum sobolem meditantur, de conjunctione profecto ac commixtione radiorum, quod semini ac materiæ genitali uberiorem valentioremque vim adjungat, hæc naturæ duplicitas manat, ut dum utriq; favet æquo studio, non tamen ut geminos valeat gignere,

aut

aut alteri, ne omnino ſuccumbat, fert ſuppetias, fœtus hæc ſexusque ſive incertitudo ſive communitas provenit.

Joannes Garcæus *cap.16.de frigidis & glutinatis.* ſic vult: Venus poſita in ſeptima domo cum Mercurio mares eunuchos & exſectos decernit, mulieres viragines, prolemque nullam ſuſcepturas: ſi Mars his conciliatur conjunctione aut aſpectu, facit Hermaphroditos.

Julius Firmicus Maternus junior, *Aſtronomicorum ſive Matheſeos lib.3. cap.6.* in quo proponit Solis decreta per ſingulas cœli ſtationes, *aphoriſm.7.* ſic ſtatuit: Si in genitura Sol & Saturnus in ſeptimo loco conſtituti, in eodem loco Venus & Mercurius fuerint inventi, vel in duodecimo, vel in ſexto, Eunuchos faciet, mulieresque viragines, & quæ ſe nunquam virili coitu conjungant, vel ſi ſe aliquando viro conjunxerint, nunquam concepturas vel partum edituras: Si verò ſic his poſitis Mars ſe aliqua radiatione conjunxerit, vel cum ipſis fuerit inventus, Hermaphroditos faciet, in quibus ſe duplex natura conjungat.

Sed hæc omnia nugæ ſunt & Aſtrologorum Somnia. Avicenna vero ſtatuit poſt menſium profluvium ex Venere die primo congreſſus ad quintum, generari maſculum, deinde ad octavum, fœmellam, & ad duodecimum, Hermaphroditum. Verùm huic ſententiæ nec rationem nec experientiam ſuffragari dicit Joann. Schenckius *Obſervat. Medicinal. lib.4. in princ. pag. m.574. b. in fin.* Fœtum enim maſculum vel fœmellam ex dominante ſemine maſculo vel fœmineo naſci dicit, ſine ullo dierum diſcrimine, ac eodem die, & momento quocunque, maſculos & fœmellas naſci. Nam ſi naſcerentur Hermaphroditi poſt duodecimum fluoris menſium diem, copioſior eorum reperiretur numerus; idcircò ortum eorum æquipollentibus marium ac fœminarum ſeminibus adſcribendum eſſe, cùm hujusmodi fœtus à materiæ ſeminalis ubertate provenire ſoleat: Effuſa enim æquali portione materia ſeminalis ab utroque genitore, facultas formatrix, quæ ſimile aliquid ſibi fingere conatur, æqvalibus viribus in utramque materiam incumbit, ac proinde mirum non eſt, ſi in uno eodemque fœtu poſtea uterque ſexus appareat.

Levinus Lemnius verò *in tract. de occultis naturæ miraculis,*

lib.1.c.9.circa fin. hujus Avicennæ opinionis probabilem causam hanc comminisci posse statuit, dum scribit: Primis diebus, elotâ vulva, humoreque sordido valide expurgato, plus caloris concipit uterus, quo virile semen potentius coalescit muliebri, atque in dextrum uteri sinum dirigitur, hepatis dextrique renis vi attractoria, è quibus etiam sanguis calidus in alimentum futuri fœtus iis diebus derivatur: neque enim sinistræ partes utpote alsiosæ ac frigidæ sangvinisque inopes, statim à purgatis mensibus aliquid conferre possunt; sed serius ac parcius sangvis depromitur è sinistræ partis venis, quas emulgentes vocant, quæ splenem renemque sinistrum perreptant; sic ut post quintum demum diem usque ad octavum ex illis aliquid sangvinis confluat, quo fœtus alendus est; ita cùm istæ partes vires suas obeant, censentque dextræ ex situ loci atque alimenti frigidi ratione, fœmella effingitur; post octavum diem dextræ partes rursum conferendi sangvinis munus sibi assumunt, atque ex illis denuo scaturire sangvis incipit masculo saginando. Post hoc dierum curriculum, quoniam ex omni parte inpromiscuè sangvis menstruus erumpit, ac vulva ex frigidi humoris affluxu plus satis uda efficitur, semenque neutri parti associatur, sed in media uteri capacitate fluctuat, Hermaphroditum confusa inter se fœmina moliuntur, qui conceptus modo ex dextro, modo sinistro sinu vires formamq; accipit, atq; utriusq; operâ utitur; Hinc Androgyni nobis emergunt seu Hermaphroditi.

Hippocratem veram & unicam Hermaphroditorum caussam in materiam retulisse, Libaultius *lib.3. morbor. mulicbr. cap.13.* censet; quando utriusque & maris & fœminæ semen æqualiter & viribus & copia conveniunt, ex quibus facultas formatrix, quæ semper simile formare nititur, utpote ex masculino masculum, ex fœmineo, fœmellam, & sic format corpus, in quo uterque sexus, qui Hermaphroditus nominatur, reperitur.

Parmenides verò, Græcus, qui longe ante Galeni tempora vixit, in libris, quos de natura scripsit, *lib.24. cap.4.* Hermaphroditos & qui utriusque Veneris appetentia tenentur, progigni autor est, ubi videlicet virtute, quæ seminibus insunt, permixto semine corporeo, separatæ permanserint.

Ga-

Galenus vero *lib.2 de sem. cap.3.* de horum generatione dubitare videtur; Is enim ibi adversus Empedoclen disputans in mentionem incidit, divulsa esse maris & fœminæ membra negans,ut in fœminæ alia,alia in maris semine contineantur: nam vel in utroque semine partes instrumentariæ & marium &fœminarum,vel in fœmineo fœminarum, in virili marium continentur. Vtro modo id fiat,*addit*, ex commixtione utrorumque formationem fœtus existere omnino fatendum est, ut nobis omnes nati tali specie nascantur, quali fictores seu Poetæ, eos qui Hermaphroditi vocantur,fingere consveverunt, qui utraque membra genitalia tam maris quam fœminæ integra habeant.

Averroes *in Paraphras.in Aristot.in lib.4 de generat.anim.cap.4.* in materiam quoque caussam etsi referat, attamen ei seminis parti adscribit,quæ hujus vel illius partis naturam obtineat; unde hæc vel illa pars aut abundet aut deficiat, quibus forsan motus Garcæus referente Libaultio *lib.3.de morb.mulier. cap.15.* caussam non in totum semen retulit,sed in eam tantum seminis partem, cui vis inest genitales partes geminas efformandi, utpote masculum & fœmineum.

Id quod etiam Albertus Magnus, *de animal.lib.18.tr.2.c.3.* voluit,dum dicit: Hermaphroditum generari, cum ex abundantia materiæ in uno membro,quod est circa ingvem ibidem superabundante dividitur,& in alio vincat,in alio vincatur.

Constantinus Africanus *in libr.de human.nat. cap.ult.* partim naturam,partim materiam accusat his verbis: Solet etiam in generatione quibusdam viris illud muliebre, & quibusdam fœminis illud virile membrum, quo luxuriatur, adjici, sed impeditâ vel oblitâ naturâ fit. Nam cum aliquo modo impeditur seu oblivíscitur,illud materiæ humidæ superfluum,quod ad vastitatem vel ad numerum alicujus membri solet disponere ad alterius naturæ membrum sine ratione immittat.

Majolus *colloqu.3.ex Alberto Magno lib.18. de animalib. tract. 2. cap.3.* hanc tradit causam. Nam ut utriusque sexus fiant, ea ratio est,*inquit*,quod humor,unde corpora gignuntur ab omnibus genitorum seu parentum partibus fluit,& æquissima singulorum membrorum portio instillatur, ita fit ut omnia membra præter

genitalia, à maris ac fœminæ ſeminibus ritè ſemper componantur: at de ipſis genitalibus, cùm diverſa utriusque forma ſit, utriusque ſemina invicem pugnare neceſſe eſt in efformando hujusmodi genitali. Si igitur utriusque genitalis materia ſuperflua ſit, cùm maris, tùm fœminæ, neceſſarium illud ſequitur, ut utriusque forma retineatur, & ideò erit Hermaphroditus: at cùm alterius genitale ſemen ab altero abſumitur, ejus forma redditur, quod alterum efficaciâ ſuperavit. Illi igitur populi qui omnes Hermaphroditici ſunt, magnum in modum genitale ſemen tam maris, quàm fœminæ, emittunt, quod invicem nequeat abſumi.

Alii inſuper confugiunt ad qualitates occultas. Alii hanc generationem viribus imaginationis, alii defectui virtutis plaſticæ adſcribunt; & quæ ſunt multorum aliæ de Hermaphroditorum cauſa opiniones, quas B. L. apud Bauhinum *in tract. de Hermaphroditis cap. 30.* fuſius reperiet.

Verum enim verò non congruunt hactenus recenſita nominatorum ſcriptorum placita, cum Doctrina, quæ hodie in Scholis Phyſicis & Medicis obtinet, de Generationis tum Organis & Principiis, tum Modo & Ordine. Per hanc enim, nec ſemen fœminæ liquidum habent, quod in συνϐσίᾳ Conjugali cum maſculino ſpermate miſceri poſſit: Nec virile illud, quod in copula carnali excernitur uteri penetralia, qua ſubſtantiam ſuam humidam ſubit. Neq; adeò Parentum humores ſeminales conjuncti in uteri cavitate primum conceptum ſive κύημα conſtituunt, unde nec prædominium alterius agnoſcitur, nec utriusq; æquipollentia admittitur: Pariterque materni ſangvinis affluxus ad uterum talis, qualem aliqui prædictorum autorum aſſerunt, negatur. Quin potius detectâ per Anatomicorum induſtriam teſticulorum, qui olim vocabantur muliebrium, verâ conſtitutione, quâ ad ovaria avium proximè accedunt, congeriemque plurium ovulorum, ſive veſicularum, aut globulorum, liquorem quendam, & (ut aliqui volunt) Ideam ſimul ſive rudimenta omnium partium in ſe continentium referunt, generationis is eſſe proceſſus perhibetur. Nimirum cùm inter amplexus Conjugales membra junguntur genitalia, tum quidem mulieris vaginam liquore ex glandulis vaginalibus erumpente irrigari, ſimulque

orga-

orgasmo venereo eam corripi, & partes omnes uterinas incalescere&rarescere contingit. Effuso verò ad uteri orificium internum à Viro semine fœcundo, spiritus seminalis poros apertos patulosque mulierum pervadens ad ovaria penetrat, in quibus turgidum ovum unum aut alterum, aliquando plura, contagio quasi quodam inficit & virtute plastica imbuit, humore quo vehebatur, uterum minime subeunte, sed ad externum orificium relabente ac effluente. Ovum itaque fæcundatum præ cæteris, concepto quasi fermento, extollitur, & succrescente sensim inter tunicas (multis sangvineis vasis conspicuas) materiâ glandulosa, globuli figuram habente, ovumque undiq; comprimente, per foramen ex ejus medio conspicuum expellitur, exceptumque à tubis Fallopianis, motu earum peristatico, ad uteri cavitatem defertur: ubi dum blando calore fovetur, augetur simul à materia, quam imbibit, albuginea ex uteri glandulis stillante, ovumque quod vocant subventaneum refert; in quo nunquam otiosus spiritus plasticus, sub directione animæ, humoris contenti particulas variè agitans, puriores ad augenda & evolvenda partium rudimenta, sive connata, ut aliqui volunt ovis, sive per Ideam ut alii malunt, virilis fœcundi miasmatis disposita asciscit; & puncto primùm saliente pro cordis constitutione sese prodente, emergunt successivè partes aliæ, ipsæque sexum facientes, secundum vel connatam ovo vel impressam à virilis seminis radio Ideam. Quibus perficiendis, nutrimentum deinde per successum temporis uberius largitur corpus maternum, vasis umbilicalibus ad placentam productis, cujus interventu conceptus cum utero denique connectitur, connexusque manet, usque dum perfectus fœtus per partum excludatur. Quibus ita habentibus concidit certè superius adducta omnis αἰτιολογία. Nec tamen facile est causam Hermaphroditorum aliam & certam exponere, de quâ proinde magnum apud Recentiores silentium, ut justo audacior videri possim, si determinare aliquam sustineam. Quare sagacioribus Physicorum filiis Problema hoc de Origine Hermaphroditorum, accuratius dijudicandum relinquens, hoc tantum dico: Non satis liquere hactenus, quâ ratione oriantur illi, quando satis adhuc obscurum est, qui fiat, ut modo

mas,modo fœmina nascatur: Nisi interim suspicari liceat, fieri illud sive vitio ovi materni,in primâ sua fabricâ rudimenta corporis Hermaphroditici,per errorem virtutis plasticæ nacti: Sive vitio phantasiæ maternæ, spiritum plasticum in ovo sub evolutione genitalium turbantis; sive per coalitum duorum ovorum, rudimenta diversi sexus habentium, inprimis si gemelli sunt Hermaphroditi,& cohæreant instar eorum,quos in agro Rorbachio ad Heidelbergam anno 1486. natos,Bauhinus sub figura secunda depictos exhibet. Quas ipsas tamen suspiciones difficultate non unâ premi,haut difficulter intelligo.

CAPUT V.

Num Hermaphroditi sint monstra.

HErmaphroditos antiqui olim pro monstris habuerunt, & idcirco eos tanquam sinistri ominis auguria vel in mare demergebant,vel in insulam desertam deportabant, vel alia quadam ratione,ut cætera monstra è medio tollebant, quemadmodum factum esse testatur Livius *decad.* 1,*lib.*3. & Plinius *Natur.Histor.lib.*7.*cap.*3.

Sic Julius Obsequens *in libro de prodigiis* scribit: M. Messala & C.Livio Consulibus Androgynum duodecim fere annos natum, jussu Aruspicum fuisse necatum.

Sic L.Metello, Q Fabio Maximo,Consulibus,Androgynus Lunæ natus,præcepto Aruspicum in mare deportatus.

P. Africano, C.Fulvio, Consulibus, in agro Ferentino Androgynus natus in flumen deportatus fuit.

Gn. Domitio, C. Fannio Consulibus, in foro Vessano Androgynus natus,in mare delatus est.

L. Aurelio, & L. Cæcilio Consulibus,in agro Romano Androgynus annos octo natus inventus, & in mare deportatus est.

L. Cæ-

L. Cæcilio & L. Aurelio Consulibus, Saturniæ Androgynus annorum decem inventus, & mari demersus est.

Q. Metello & Tullio Didio Consulibus, Romæ Androgynus in mare deportatus.

Cneo Cornelio Lentulo, P. Licinio Consulibus, Androgynus inventus, & in mare deportatus fuit.

Quin & Plato, *in Convivio in Orat. Aristophanis* Hermaphroditos pro monstris habere videtur, cum nomen Androgyni seu Hermaphroditi infame dicat.

Sic etiam Lucretius *lib. 5. de rer. natur.* illos inter monstra nostra numerat, sic scribens:

Multaq; tunc tellus etiam portenta creare
Conata est, mirâ facie membrisq; coorta,
Androgynum inter utrum vel utrumq; & utrinq; remotum.

Sed & Cicero *lib.* 1. *de Divinat.* eos pro monstris judicavit: *Quid* inquit, *ortus Androgyni nonne fatale quoddam monstrum fuit?*

Qvin imò & inter Recentiores nonnulli reperiuntur, qui Hermaphroditos pro monstris habent, inter quos est Mercat. *de steril. affect. c.* 7. Martinus Weinrich. *de ortu monstrorum.* Rodericus à Castro *de morbis mulier. lib. 3. c.* 11. Riolanus *de Hermaphroditis c. 2.* Ex JCtis Majolus *de irregularit. lib. 1. cap. 27. n. 4.* Torreblanca, *Dæmonolog. lib. 2. cap. 17. n. 21.* & Caranza *de partu cap. 12. n. 66.*

Sic etiam scribit Nierembergius *l. 8. Histor. Natur. c. 6.* in Virgineâ, Americæ, provinciâ multos esse Hermaphroditos, ipsis etiam Indis exosos, Indosque ipsorum opera uti jumentorum loco, quod robusti sint ad onera portanda; deportare autem annonam Regum, cum proficiscuntur ad bellum, defunctos gestare, contagioso morbo affectos, ad loca destinata deferre & medicari, dicit Casp. Schottus *in Physica curiosa lib. 3. cap. 10. in princip.*

Hisce tamen non obstantibus, Hermaphroditos monstra non esse, nec pro monstris à legibus nostris haberi, sed in virorum vel mulierum censu reputari, clarum est *ex l. quæritur ff. de stat. hom. l. repetundarum. §. Hermaphroditus ff. de test. l. sed est quæsitum in fin. ff. de liber. & posthum. cap. si testis. 2. Hermaphroditus 20. qu. 3.*

Licetus verò *lib. 2. de monstris c. 53.* non omnes Hermaphrodi-

tos indifferenter pro monſtris habendos eſſe vult, ſed eos tantum, quibus neuter ſexus ob exilitatem perfectus eſt, aut quibus alter longe à ſuo naturali ſitu tranſpoſitus eſt: Ex quâ opinione autem conſequeretur Hermaphroditos illos, qui tantum alterum ſexum ratum & recte conformatum habent, non magis monſtra eſſe, quàm eos, quibus aliquis digitus manus vel pedis abundaret, aut qui ſimile aliquod vitium haberent; qui tamen monſtra minimè dici poſſunt, cùm in conſtitutione monſtri inſignis aliqua & enormis læſio & deformitas requiratur. Quocirca monſtra non ſunt Hermaphroditi ii, qui in utroq; ſexu, vel in alterutro tantum prævalent: neq; ii monſtra dici debent, qui in neutro ſexu potentes exiſtunt, aut alterum etiam transpoſitum habent: hæc enim turpitudo aut monſtroſitas, quæ inde enaſcitur, parum ad humanæ figuræ & conſtitutionis detrimentum & deformitatem facit: Quin imò in Legibus noſtris hi tantum partus, qui forma humana deſtituuntur pro monſtris habentur & in numerum filiorum non veniunt. *L. non ſunt liberi 14. ff. de ſtat. hom.*

Oſtenta tamen ſunt Hermaphroditi, quæ verò à monſtris differunt: Et hoc errore ducti ſunt ſuperius relati Autores, Hermaphroditos pro monſtris habentes, qui oſtentum & monſtrum idem ſignificare putarunt, quod tamen falſum eſt: Non enim omne oſtentum monſtrum eſt, licet omne monſtrum ſit oſtentum, *per d. text. non ſunt liberi.* Duo enim ſunt genera oſtentorum, juxta Labeonem, *in l. 38. ff. de Verb. ſign.* Vnum, quoties quid contra naturam, h. e. contra naturæ conſvetudinem naſcitur, *quaſi dicat*, quoties forma naturalis non mutatur, ſed tantum interpolatur, aut amplificando aut detrahendo, aut mutilando, *d. l. non ſunt liberi ff. de ſtat. hom.* veluti ſi qvis tribus manibus aut pedibus, aut alia aliqua corporis parte geminata aut interpolata, quæ naturæ contraria eſt, naſcitur. Alterum, cum quid prodigioſum, h. e. monſtroſum, *l. quærat. aliquis 135. ff. de V. S.* videtur, h. e. cujus forma in aliam ſpeciem eſt mutata, & quaſi prodigium naturæ, quæ ſui ipſius oblita videtur & prodiga adeò facta, ut interdicto ferè opus habuiſſet. Et hæc prodigiorum genera Græcis Φάσματα dicuntur, eò quod videnti apparent, dicendove indicantur, ſicut apud Latinos monſtra & oſtenta à monſtrando & oſtendendo

dicta.

dicta,cum propter animi novitatis avidi, opinionem, visu mira invicem à spectantibus & accurrentibus monstrentur & ostendantur. Generale itaque est vocabulum ostentum,quod & se ipsum in specie, & monstrum seu prodigium tanquam alteram speciem comprehendit, *l.38.ff.de V.S. l. quaeret aliquis 135. eod. l. non sunt liberi ff. de stat. hom.* Ostentum in specie sic dictum est, cui naturali originis & generationis suæ forma minimè destructâ, augmentum accessit,vel in aliquo detractum vel mutilatum est: aucta erit forma,si nascuntur qui tres pluresque habent manus aut pedes, qui sex pluresve digitos in singulis habent manibus, vel qui duobus capitibus, aut tribus pluribusque oculis eduntur,& huc etiam referendi sunt Hermaphroditi: In his enim natura larga fuit & humana officia ac membra ampliavit, nec videri potest aliud genitum,quàm quale erat gignens, *d.l. non sunt liberi vers. partus ff. de stat. homin.* Detractum autem erit formæ & consvetudini naturali,si quis uno brachio, vel pede,aut inversis brachiis pedibusque, vel uno nullove oculo, aut sine naso, aut ventriculo natus fuerit: Etsi enim hîc quid membris eorumque officiis naturæ peccato oblatum est, humanam tamen speciem, & consvetudinem retinuit,neque formam penitus exuit: & tale quid ex homine natum,humanus partus & homo censeri debet, licet sit imperfectior, quàm communis naturæ consvetudo fert. Alterum genus ostenti proprie vocatur monstrum & prodigium,& ab effectu portentum, eò quod aliquid portendat & prædicat,& definiri potest id quod formam ortus sui generationisve mutavit, alienâ & prorsus peregrinâ specie assumptâ, e.gr. si ex homine generetur corpus leporinum aut eqvinum, vel ex ove lupus,ex equâ lepus,ex vacca leo &c. Quemadmodum ex homine natum cynocephalum canino scil. capite & cauda, ventreque leonino puerum; item alium puerum,cum capite Elephantino.& alios hujusmodi monstrosos partus refert Casp. Schottus *in Physica curiosa lib.5.cap.6.* Sæpe enim fieri, ut ex homine bruti animalis forma nascatur, scribunt Dd. *ad d.l. non sunt liberi 14. ff. de stat. homin.*& in his verum est,quod in hâc lege responsum est,eos non esse homines, qui contra formam humani generis, converso more, aliena nempe forma assumpta, procreantur; in his

enim

enim humana forma prorſus ceſſat, extincta, abolita & abrogata eſt,

Et ita hac ratione diſtinctione facta inter oſtentoſum & monſtroſum partum, facile reſolvi poteſt Quæſtio, *An nimirum monſtroſus partus ſit baptizandus?* Partum nempe humanam formam habentem meritò baptizandum, monſtroſum verò utpote qui anima rationali caret, baptizandum non eſſe, id quod optimè reſolvit Baldus *in d.l.non ſunt liberi in prima additione circa fin.* Petr.Gregor. *in part.Jur.Canon.c.6.n.2.& 3.* Secundo, *An occidens monſtroſum partum teneatur de homicidio?* Iterum Reſp. in oſtentoſo homicidium dari, in monſtroſo non item, ex jam dictis, & ita reſolvit Baldus *in l.quod dicitur ff.de lib.& poſthum.* Carrer. *in tract. de homicid.§.1.n.23.* Gilken. *in l.quod certatum n.5.C.de poſthum. hered. inſtit.* Caranza *de partu c.17.n.32. ibique plures allegati.*

Sunt itaque Hermaphroditi minime in monſtrorum claſſem referendi, multominus autem interficiendi, ſed potius in delitiis habendi, juxta Plinium, *Natural. Hiſt. lib. 2. cap.* 3. Gellium *Noct. Attic. lib. 9. cap. 4.*

Et cum per ſupra deducta Hermaphroditi non ſint monſtra, utique ſine ulla dubitatione etiam baptizandi ſunt. Sed *quodnam illis nomen imponendum ſit?* in controverſiam venit. Et quidem hic primò inſpiciendum venit, utrius ſexus genitalia magis efformata ſint, an maſculina, an fœminina? & pro illorum ſexus qualitate ac conditione, ſi maſculinus ſexus magis efformatus ſit, vel ſaltem videatur, nomen viri; ſin fœmineus, fœminæ nomen imponendum eſt.

Sed quid ſi in infante recens nato uterque ſexus tam maſculinus, quàm fœmineus ratione genitalium perfectè effigiatus & conformatus ſit, ratione teneritudinis autem obſervari non poſſit, in quonam ſexu increſcente ætate incaleſcet & potentior fiet, quodnam in hac re dubia nomen tali Hermaphrodito imponendum ſit? Et Reſp. quod eo caſu Viri nomen illi imponendum ſit, & quidem hoc ex ea ratione; quia conſtat, & quoque ſecundum naturalium rerum indagatores ſolertiſſimos, Ariſtot. *de Hiſtor. animal. lib. 8. cap. 2. & lib. 2. de generat. c. 3. & 4.* Galen. *de utilit. part. l. 14. c. 6. & l. 2. de ſemine,* Plin. *Natur. Hiſt. l. 7. c. 4.* expeditum eſt,

Natu-

Naturam omnium veluti rerum parentem atque altricem semper ad meliora perfectioraque niti. Idcirco in generatione hominis, quandocunque natura suos conatus perfectè & plene assequitur, gignentibus scilicet sufficientes ad tam perfectum opus producendum facultates suppeditantibus, tum marem progignit hominem in suo genere, scilicet hominis, perfectum. Unde è contrario, ubi fœmina nascitur, ibi natura, deficientibus scilicet gignentium facultatibus, manca atque minus vegeta, optimum perfectumque fœtum, marem scilicet producere non potuit, quem haut dubiè potuisset, si perfecta ea atque integra fuisset; fœminam ergo tum, hominem minus perfectum, seu marem mutilatum & occasionatum, ut eum vocat Aristoteles, & refert Benedictus *in c. Raynucius verb. duas habens filius n. 124. x. de testam.* produci longe indigniorem intelligitur. Et hanc perpetuam naturæ inclinationem in generatione animalis, ad generandum præcipuè masculum fœtum, tanquam digniorem probatum facit id, quod contingit interdum fœminas in mares mutari, nunquam verò in fœminas mutentur mares, repugnante scilicet natura, quæ semper expetit dignius, & indignari resistit. Sic etiam pari ratione Hermaphroditus recens natus, in quo utriusq; sexus genitalia rite & exacte efformata videntur, in dubio pro masculo reputatur, ipsique in S. Baptismate nomen viri imponendum est, cùm ejus adulta ætas non exspectanda sit, ut ex ea cognosci queat, uter sexus magis incalescat, nec propterea S. Baptisma differendum.

Sed quid si talis Hermaphroditus recens natus, in dubio nomine viri in Sacro fonte insignitus, habituque virili usus fuerit, posteà verò increscente ætate, vel ipsemet cognoscat, vel ex inspectione Medicorum & obstetricum reperiatur, quod in eo sexus fœmineus magis prævaleat, & ob hujus stimulos venerios viro nubere gestiat, *An Baptisma rite factum, an vero cum impositione nominis fœminei reiterandum sit?* Resp. Irritum videri posse hoc Baptisma svadere videntur sequentes rationes, (1) ex *l. si quis in fundi 4. ff. de legat.* 1. ubi dicitur: errorem nominis vitiare dispositionem. (2) ex *l. alioquin. 11. §. 1. ff. de contrah. empt.* ubi in errore se-

xus emptio venditio nulla eſt. (3) ex *l.cum in liberis,14.C. de hæred. inſtit.* ubi error nominis totum vitiat teſtamentum. (4) ex *cap.ſignificante 34. & Rudolphus 35. x de Reſcript.*(5) quia nomina ſunt rebus conſonantia,*§.eſt & aliud verſ.ſed nos pleniſſimè Inſt. de donat.*& ubi nomina ſunt diverſa,res etiam diverſæ cenſentur,*arg.l.ſi idem 7.C.de codic.* (6) Quia communis eſt Canoniſtarum opinio,quod baptizans maſculum, cum tamen ſit fœmella,nihil agat.Ita enim Jaſon, *ad l.ſi in nomine 4.n.2.C.de teſtam.* ait; quinto limita in Baptiſmo, nam ſi baptizans intendit baptizare maſculum & ei imponit nomen Petrus, cùm ſit puella, non eſt baptizata ipſa puella, quando baptizare intendebat maſculum,& non fœminam baptizare: Ratio,quia oportet quod intentio baptizantis fundetur ſuper verò. *Hæc Jaſon.* Ita & Sichardus,*ad d.l.ſi in nomine 4.n.15.* Tertius caſus eſt,*inquit*,circa Baptiſmum,ut ſi Sacerdos animo & intentione baptizandi maſculum, det ei nomen virile, cùm tamen revera ſit fœmella, tunc certe ille actus ſecundum communem Canoniſtarum opinionem, propter errorem nominis vitiatur. Jaſonem & Sichardum ſequitur Oſtermannus *in rational. ad Inſtitut.tit.20.lib.2.§.ſiquidem in nomine 20.in fin.* quem vide.

Hiſce tamen non obſtantibus, contraria opinio, videlicet Baptiſma tale ob nominis errorem vitioſum non eſſe, verior eſt, & quidem (1.) Quia ubicunque ſubſtantialia Baptiſmi obſervata ſunt,ibi verus & legitimus baptiſmus eſt adminiſtratus:ſiquidem ad plenam & integram cujusque rei eſſentiam, partes ejusdem eſſentiales ſufficiunt: at verò in baptiſatione talis Hermaphroditi ſubſtantialia Baptiſmi fuerunt obſervata; adfuit namque aqua cum verbo, adfuit invocatio SS. Trinitatis, aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti effuſa & aſperſa fuit; Ergo verus & legitimus Baptiſmus celebratus fuit, *arg.Can.ſi quis apud 23. de conſecrat. diſtinct. 4.* ibi ne Sanctæ Trinitatis invocatio annulletur. Gerhardus *Locor.Theolog.tom.4. de S.Baptiſmo Sect.3.c.3.n.26.verſ. quos ſi qui hæretici.* (2.) Quia & aliàs error in nomine veritati non nocet,modo corpus nomine denotatum certum ſit, *arg.ſiquidem in nomine 29 Inſtit.de legat.l. his verbis 48.§.3.ff. de hæred. inſtit. l. demonſtratio 17.ff.de condit.& demonſtrat.l.ſi in nomine 4.C.de teſtament.*

Car-

Cardinal. Mantica *de Conject. ult. vol. l. 4. tit. 5. n. 1.* Hinc & Imperator ait; nihil nominis commemorationem ambiguitatis parere; *l. hac consultissima 8. in princ. C. qui testam. fac. poss.*

Argumenta autem in contrarium adducta quod attinet, facilè ea dilui possunt; Nam ad (1) distingvendum est inter nomina propria & appellativa. Error nominis proprii non vitiat, *d. § siquidem in nom. 29. Instit. de legat. l. si in nom. 4. C. de testament.* Error vero nominis appellativi, seu ut Interpretes loquuntur, speciei, vitiat dispositionem; ut si quis vult legare vestem, & leget libros, item si pro vacca asinum, ille error vitiat dispositionem, *l. si quis 4. ff. de legat. 1.* Sichardus *ad d. l. si in nomine 4. n. 10. C. de testam.* Ratio est, quia nomina specierum sunt introducta à Jure Gentium & ob id sunt immutabilia, ut ait Ulpianus, *in d. l. si quis 4 in fin. princ.* imò mutatio nominis appellativi, i. e. specie, mutat essentiam rei, & sic totam immutat formam. Sichardus *d. loc. n. 10.*

Ad (2) Resp. Magna est ratio diversitatis, nam *in d. l. alioquin. 11. § 1.* sexus est instar materiæ & substantiæ contractus, cujus error vitiat emptionem, *in l. venditionibus 9. § inde quæritur 2. in fin. ff. de contrah. empt.* Connanus *Comm. Jur. Civil. l. 7. c. 6. n. 8. circa fin.* In casu vero nostro ubi utriusque sexus genitalia perfectè efformata, & perfectiori ac digniori sexui, nimirum masculino, nomen inditum, & sic circa incalescentiam ac majorem potentiam sexus error commissus est, talis error actum Sacrosanctum Baptismi in baptisato nequaquam vitiat, cùm & homo baptisatus sit, & omnia ritè in illo actu aliàs fuerint celebrata.

Ad (3) error nominis *in d. l. final. C. de hered. instit.* versatur circa ipsum testatorem; Si igitur ipse testator circa nomen suum proprium erret, ut si diceret, hoc est testamentum mei Johannis, cum vocetur Paulus, certè error ille nominis proprii totum vitiat testamentum: Ratio est, in ipsa *d. l. fin.* quia nemo tam supinus est, ut in nomine suo erret, unde si errat præsumitur stultus propter ignorantiam facti vel nominis proprii, *arg. l. nec supina 6. & l. regula est 9. §. fin. vers. quod si ideò ff. de jur. & fact. ignor.*

Ad (4) Jura Canonica agunt de Rescriptis, quæ sunt stricti juris, ideo non debent extendi ad homines alterius Diœcesios;

 nec

nec ibi constabat de voluntate rescribentis, qui si fortè compertum habuisset, illum esse alterius Diœcesis, absque dubio rescriptum non dedisset, vel alios Judices in loco propinquiore designasset, Panormitanus *ad d. cap. significante 34. num. 4.*

Ad (5) Diversa nomina res quidem arguunt diversas, sed ita, si quis duabus rebus nomina imponat diversa: puta nominantur Codicilli, nominantur & Testamenta, tum constat, alios esse codicillos à testamentis, & ita Codicillos esse inventos ut diversi essent à Testamentis. Alia est ratio, si de persona vel corpore, vel re constat, tum enim error nominis proprii nihil præjudicat veritati *d. l. 4. C. de testam.*

Ad (6) Canonistarum communis opinio in hoc casu non est attendenda; est enim communis Pontificiorum Scriptorum error. Impositio siquidem nominis pertinet tantum ad Ceremonias Baptismi: Est enim nomen memoriale tantum Baptismi suscepti, nec attingit ejus requisita substantialia. Hæc quando recte, ritè pleneque in ipso Baptismi actu adhibita sunt, non opus est Baptismo ulteriore, nec de validitate actus dubitandum, Gerhard. *Locor. Theolog. tom. 4. de Baptism. cap. 8. Sect. 3. de Ceremon. Baptism. n. 260.*

Poterit tamen talis Hermaphroditus, cui nomen masculinum in S. Baptismo impositum est, si sentit in se fœmineum sexum prævalere, seque huic sexu addicere velit, Parochum sui loci adire, huicque hoc revelare, & ab ipso petere, ut post factam mutationem vestium virilium in fœmineas, secum templum intret, & coram Baptisterio, in præsentia Patrinorum Hermaphroditi, vel si illi non amplius sint in vivis, aliorum, præhabita commemoratione, quod in nominis impositione in S. Baptismo, circa incalescentiam sexus erratum fuerit, & jam mutato nomine masculo, nomen fœmineum, præsenti Hermaphrodito imponendum sit; atque hoc facto, nomen fœminæ illi imponat.

CAP. VI.

CAPUT VI.

De Habilitate vel inhabilitate Hermaphroditi in vitâ Conjugali.

COnditum esse hominem sicuti & reliqua animalia omnia, ut sibi simile procreent, juris mere naturalis, nobisq; cum brutis commune esse videtur, *Genes.1.v.22. & 28.l.1.§.3.ff. de Justit.& Jur in princip.& tit.Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* unde graviter erravit Cornelius Agrippa *in declamat. de Orig. peccati* & Robertus Flud, sub nomine anagrammatisato Rudolphi Otreb. *in tract. Theologico-Philosophico, de vita, morte & resurrectione, l.2.c.2. & 3.* dum tradunt, primum & originale peccatum aliud nihil fuisse, quàm copulam carnalem viri mulierisque, & nullum alium Dæmonem Evam tentasse arbitrantur, quàm illum de quo ait Job, cujus virtus est in lumbis & in umbilico potestas. Aquâ etiam opinione non plane alienus videtur Philo Judæus *de opific. mund. fol.26.& seqq.* Quamvis autem sensualis amor & concupiscentia carnis. lapsum subsequentes, etiam prolem innocentem ante procreationem contaminarint unde in iniquitate concepti sumus & in peccato nos concepisse matrem nostram Regius Psaltes dicit, *Ps.57.v.7.* attamen res ipsa à vitio accedente separari omnino debet, & futura certe fuisse in statu innocentiæ procreatio prolis per copulationem. D. Thomas *1. Quæst.98.artic.2.*

Impia itidem ac nefaria est Paracelsi Chymistarumq; nonnullorum doctrina, qui statuunt generationem fieri posse sine muliere ex solo viro, aut quod Avicenna, referente Averroe *l.8.Physic.§.46.* tradidit olim; hominem posse ex putri materia per

cholcodem produci, Joh. Cruger. *Disp. 2. thes. 15.* Natura certe humana velut nobilissima arbor, Deiq; agricolantis plantatio pretiosissima, duobus ramis constat, masculo scil. & fœmina, ejusq; indicium est vis generativa, quæ ambobus istis ramis insimul indita invenitur, in neutro ideò eorum potest esse completa, vid. Gvilielm. Parisiensem *in tract. de Sacrament. tit. de Sacrament. matrimonii §. quinto loco in ordine.*

Primariò itaque & principaliter matrimonium liberorum procreandorum, auxiliique causa, ne homo salus sit, secundariò autem scortationis evitandæ ergò institutum est. Et ideò castitatem etiam in matrimonio, quantum fieri potest, servari debere docet Ægid. Albertin. in der Hauß-Policey *part. 3. fol. 104.* & *seqq.* Ita in Veteri Testamento Sacerdotes & Pontifex aliquando ab uxoribus abstinere debebant, *Exod. 19. v. 15.* Becanus *analog. c. 7. qu. 7.* ita & consuluit D. Apostolus Paulus *1. Corinth. 7. v. 5.* hoc idem ex Conjugum mutuo consensu fieri, ut vacent orationi. Est etenim matrimonium, res quædam sacra; Quod etiam innuit doctissimus Judæus-Aben Esra *ad c. 2. Proverb. v. 7.* cùm dicit: Auffer Dei Spiritum à matrimonio id quod restat non est nisi indignatio & maledictio: at verò Spiritus Dei manere non solet, nisi ubi castus minimeque spurcus ac libidinosus est amor. Hinc de perversitate nostri seculi hâc in parte conqueritur Vir Sanctissimus Henricus Suso, *in libello de novem rupibus cap. 21.* Contemplare inquit, quo devoluti sunt, qui matrimonio versantur? certè pleriq; hodie sanctum conjugium in putridissimam vertunt cloacam, dum haut secus quàm pecudes degunt, præ omni libidine ac appetitione beluinæ naturæ, vel corporis sui, contra omnem matrimonii legem & ordinem, itemque contra rectam rationem. Equidem non eo consilio divinitus matrimonium est institutum, ut pro corruptæ naturæ libidine in eo vivatnr, sed ut vita agatur sancta, custodita ac religiosa, ita ut est à Deo institutum. In eundem fere sensum & Laurentius Pisanus *in sentent. num. 327.* solus continens cum continente Christi matrimonio utuntur, cæteri sub prætextu matrimonii adulteriis.

Ad obtinendum autem finem matrimonii primarium, videlicet

delicet sobolis procreationem crimenque libidinis vitandum, sedulo videndum est, ut is, qui matrimonium inire velit, personam generationi aptam sibi deligat & copulet; unde cum spadonibus & eunuchis matrimonium non est contrahendum, licet enim quidam eorum qui castrati sunt, congredi cum uxore possint coitus tamen ille est inanis, nullamq; spem sobolis habet, sed libidinem saltem extingvit, & pruritum in fœmina potius accendit, *Constit. Leonis ad Stilianum, Constit. 98*. Simili ratione improbantur quoq; conjugia cum Hermaphroditis, periculosumq; est ejusmodi hominibus nuptias permittere, ex quibus altera pars facilè decipi, & in peccatum adulterii prolabi potest, si nempe potior non sit sexus ille, quem contrahens cum Hermaphrodito quærit & desiderat, ideoq; magis dissolvendum ejusmodi conjugium, quàm permittendum, nisi Hermaphroditus instanter urgeat desiderium, illeq; prævaleat in illo sexu, quem pro ratione Conjugis nuptiæ requirunt, nempe ut fiat maris & fœminæ consociatio, Paul. Cypræus *de sponsal. c. 9. §. 13. n. 46.* Joh. Gerhard. *in Loc. de Conjugio § 235.* Ac licet utriusque sexus participes sint Hermaphroditi, & maritum fœminarumque conjunctione uti possunt, tamen ejus sexus censendi sunt, qui in iis prævalet & potentior est, *l. quæritur ff. de stat. hom.* à potentiore enim sexu, Hermaphroditum censeri placuit, exindeq; Hermaphroditi alii masculi, alii fœminæ rectè appellantur. Hoc autem ut rectè cognoscatur, matrimoniumq; legitimum ineatur, ante omnia inspectio requiritur, priusquam Hermaphrodito facultas detur conjugium inire ac nuptias contrahere, ut nempe quis sexus prævaleat, exploretur, quæ inspectio Medicis & Chirurgis, Navarr. *l. 1. Consil. de Ætate & qualit. Consil. 8. n. 1. in l. 2. tit. 3. de Regularibus Consil. 47. n. 3. & 4.* Turrecremat. *in c. si testes §. Hermaphroditus 4. qu. 3. n. 3.* Thom. Sanchez *de matrim. l. 3. Disp. 106. n. 2.* quin etiam obstetricibus quandoque committenda, quibus si duo saltem sunt, hâc in re magis creditur, quàm decem aut viginti testibus non Medicis, Alexander *Cons. 148. n. 1. l. 2.* Quod si verò inspectionem hanc Hermaphroditus fieri detrectârit, ad contrahendum matrimonium nequaquam admittendus est, sicuti hanc in rem Rescriptum Consisto-

rii Misnensis refert Dedekennus *Consil. Theolog. vol. 3. l. 2. Sect. 1. n. 7. p. 75.* verbis hisce: Nachdem Ihr in Sachen des Hermaphroditen N. N. so viel befunden / daß er ohne vorgehende inspection und Erkundigung / wie es seines Leibes halben beschaffen / zum Ehestande nicht kan zugelassen werden / welches wir ihme auch vermeldet / er aber darein sich zu begeben Bedencken gehabt und von seinem Vornehmen abzustehen sich erkläret; desgleichen auch N. N. von ihrer Eheklage auf unsere Ermahnung abgestanden. Als ist an Euch Unser Begehren / Ihr wollet gute Achtung auf sie beyderseits haben / daß sie sich ferner nicht zusammen halten / der Hermaphroditus auch anderer Weibes-Personen müßig gehe / damit ferner Aergernüß abgeschaffet und verhütet werde. Da er aber nochmahls zu der Inspection auf seine Unkosten sich anerbieten würde / so wollet Uns solches anhero wiederum berichten. &c.

Similia duo Rescripta ex Consistorio Supremo Dresdensi refert Carpzovius *in Jurispr. Consist. l. 2. tit. 1. Defin. 16.* quorum prius de 26. August. anno 1635. ita sonat: Wir haben aus Eurem des Superintendenten Bericht und desselben Beylagen vernommen / was massen Thomas H. zu M. ein Spielman und beruffener Zwitter oder Hermaphrodit, mit Annen / Georg F. nachgelassenen Tochter daselbsten / in ein öffentlich Ehegelöbniß sich eingelassen / und beyde Theile beyde verharren wollen / und Ihr der Rath habt solches aus dem Beyschlusse mit mehren zu ersehen. Wann denn die Nachlassung und Vergönstigung solcher Ehe darauff beruhet / uter sexus bey gedachten Zwitter prævaliret / und ob die Männliche oder Weibliche Natur stärcker und der andern vorzuziehen. Als ist an statt Ihrer Churfürstl. Durchl. Unser Begehren / Ihr der Rath / wollet einen oder mehr Chirurgis bey euch auftragen / sich disfalls durch Besichtigung zu erkundigen / insonderheit ob es seines Brudern Aussage gemäß an den Zwitter sich befinde / oder wie es sonsten sich allenthalben verhalte; hernach Uns Ihr zugleich den erlangten Schein mit Zurücksendung der Beylagen / zu fernerer Verordnung / unverzöglich zu erkennen geben &c.

Posterius est de 18. May anno 1610. cujus verba ita habent: Wir haben Euren des Superintendenten eingeschickten Bericht in Sachen

chen Christoff N. zu H. welcher als ein Mägdlein getaufft / und mit eines Häußlers Tochter daselbst sich verlobt / auch umb die proclamation und Copulation angesucht/verlesen hören. Begehren derowegen an statt Unsers Gnädigsten Herrn / Ihr wollet beyden Theilen und ihren Eltern vor Euch zu erscheinen auferlegen lassen/ ihnen ihre Gebrechen und grosse Gefahr absonderlich vorhalten/ und Fleiß anwenden/ob sie von ihren Vorhaben in guten abzustehen sich erklären möchten: im Gegentheil aber Klagendes Theil durch einen Medicum und zweene Barbirer oder Bader/auch da es nöthig eine Wehmutter nochmals besichtigen lassen / und Uns / wie es hierumb bewandt/ eigentlich berichten.

Hinc factâ tali inspectione Hermaphroditus, in quo alter sexus prævalet, potest matrimonium inire juxta sexum prævalentem, atque ita, si fœmineus prævaleat, viro nubere potest; sin autem virilis, fœminam ducere valet, per *l. quæritur 13 ff. de stat. hom.* Irritum autem è contra est matrimonium juxta alium sexum contractum, & hoc ipso jure naturæ; ut si prævalente sexu virili copuletur matrimoniũ viri instar fœminæ; vel si prævalente sexu fœmineo, fœminæ instar viri: quia inter personas ejusdem sexus initum est; prævalente enim fœmineo reputatur fœmina, & tamen fœminam ducit, ac si vir esset, & si prævaleat virilis, reputatur vir, & tamen instar fœminæ nubit viro. Thomas Sanchez *in tract. de matrim. lib. 7. Disp. 106. n. 4. & 5.*

Quod si autem Hermaphroditus sexum elegerit, quo se potentiorem experitur, & cujus usum Natura magis insinuat, stimulisque urget atrocioribus, tùm si irrito sexu utatur, graviter peccat, Sodomiæ peccatum, vel huic saltem non dissimile committens; quia naturâ abutitur, cum non possibile sit illum per irritum sexum generare, nihil enim aliud fere est Sodomiæ peccatum, quàm coitus cum compare sexu, vel non in vase naturali, ex quo impossibile sit generationem sequi, neque enim solum maris cum mare carnalis conjunctio Sodomiæ peccatum est, sed etiam fœminæ cum fœmina. Filiuccius *in 6. præcept. Decalogi tract. 30. cap. 8. n. 159.* Farinac. *de Delictis carnis qu. 148. n. 49.* Paul. Zachius *Qu. Medico Legal. lib. 7 tit. 1. qu. 8. n. 32.*

Sed quid si ex Medicorum inspectione appareat, quod Hermaphro-

maphroditus in nullo sexu prævaleat,& ex aspectu corporis genitaliumque discerni non possit,ad qvodnam genus sit referendum,quid tum faciendum? Et Resp. quod tunc ea res conscientiæ Hermaphroditi relinquenda sit,ut tradit Albericus in *l. quæritur num.4.ff.de sta: homin.* quem sequitur Josephus de Rusticis *in l.cum avus lib.3.cap.8.num 45. de condit. & demonstrat.* Turrecremata *cap.si testes §.Hermaphroditus num.14.qu.3.* & Sanchez *de matrimonio lib.7.de impedimentis Disp.16.num.2.* ubi dicit communem esse hanc opinionem. Et tunc Hermaphroditus unum eligere debet sexum,à quo denominari velit, ut post Baldum & Albericum in *d.l.quæritur.* tradit Hostiensis *in summa tit. de testib: §. quis possit esse testis num. 2. vers.si utriusque* & si elegerit unum sexum, non poterit eo abuti,utendo alio: Torreblanca *lib.2.de magia cap. 17.num 8.* quam sententiam & omnes fere amplectuntur, argumento textus *in cap. presbyteros 16. qu. 1. & cap. diversis fallaciis ubi gloss.de Cler.conjug.l.si plures ff.de pact. ibi: difficile est ut unus homo vicem duorum sustineat* & *in l.final.in princ.C.de assessorib.* ubi prohibetur quis simul esse Advocatus & Consiliarius, & rationem ponit textus ibi, *cum ad utrumque festinat , neutrum bene peragit.* Et quamvis in eadem persona,quoad diversos effectus,jus actionis & passionis concurrere possint, *l.cum filio ff.de legat.1.* & unum jus ab alio non vincitur,quando per se possunt consistere, & æqualis potentiæ sunt uti tradit Angelus *in l.si reos num.1.ff.de duob.reis.* Si tamen jura non compatiuntur in eâdem personâ utpote contraria, non poterit quis ea exercere; propterea nec Hermaphroditus utrumque sexum, ne detur actio & passio in eodem subjecto, *l.uxorius 72.ff.de fideiussor. l. si quis pro eo 56. §.1. eod.* non enim quis potest esse in statu contrario, *l.si pater in fin.ff.de liber. caus. l.1. §.quis enim patiatur.C.de Latin.libert.tollend.* Anton. Gomez. *variar.resolut.tom.1.cap.9.num.26.l.Titia si non nupserit.99 ff.de condit. & demonstrat.* ibi: *ridiculum est enim eandem & ut viduam & ut nuptam admitti,* quia repugnantia & contraria in uno consistere nequeant, Ildephonsus Perez de Lara *in Compendio vitæ hominis c.11.n.30. & seqq.*

Et debet insuper Hermaphroditus,qui unum sexum elegit, etiam juramento obstringi, se non abuti velle altero sexu, & si

contra hoc juramentum fecerit, propter juramenti violationem, gravius punitur: quod si verò in electione sexus, juramenti exactio omissa fuerit, non ita graviter puniendum esse tradit Laurentius Matthæu & Sanz *de Re Criminali controverʃ.48.num.17.* ibique notabile exemplum refert, quod sic habet: *Novi Valentiæ, anno, ni fallor, 1640. Hermaphroditum, qui habitu fœmineo educatus inter famulas Don Petri de Valda, Ordinis Equestris Divi Jacobi, atque Curʃoris majoris illius Regni, receptus, unam ex illis ʃtupravit. De ejus querelâ captus fuit, & à peritis judicialiter inʃpectus. Ab uno ex eis, qui cognominabatur Caʃtro, peritisʃimo Chirurgo audivi, habere vulvam fœmineam modo naturali formatam, à qua quoties Veneris ʃtimulis urebatur, emittebat membrum virile, mediocris magnitudinis, alacriter erectum, atque idoneum ad ʃtuprum committendum: famula ʃtuprata cauʃam accuʃationis deʃeruit; & cum periti pronunciaʃʃent, in utroque ʃexu potentem, electio ei conceʃʃa fuit, ʃed per inʃcitiam vel oblivionem absque jurejurando, neque aliquâ injunctione de non utendo alio ʃexu, carcere liberatus. Elegit virilem, & eo habitu aʃʃumpto, officioque ʃartoris applicatus, per duos annos in eâ urbe vixit. Sed anno 1643. dùm in diverʃorio cubaret, de ventris dolore vehementisʃimo conqueʃtus, dum uxor cauponis linteaminibus calefactis ventrem fovebat, puellam peperit; & ex hac cauʃa poʃtea carceratus, ex negligentia deferendi juramentum, vel injungendi pœnam ob abuʃum alterius ʃexus, impunitus evaʃit, tantummodo exilii pœna mulctatus. Sed Sartoribus rixarum cauʃʃam fœcundam reliquit; quia dum in cauʃa probaretur, quod autor partûs cerdo fuerat, in proverbium abiit:* Sartores à Cerdonibus imprægnari: *Quod diʃcordiis non modicis anʃam præbuit, ex quibus vulnera & neces dimanarunt.* Hæc Sanz. d.l. Ex his itaque facilè videre licet, quid statuendum sit de illâ Quæstione, *An Hermophroditus, qui in utroque ʃexu potens eʃt, poʃʃit & uxorem ducere, & ʃimul etiam viro nubere?* Et sunt quidem nonnulli, qui affirmativam amplectuntur, hancq; sententiam duabus his rationibus stabilire nituntur: (1) quod hoc nullibi Legibus interdictum, nec ulla pœna in eos, qui hoc fecerint imposita, inveniatur: (2) quod non indecens sit, modo uno, modo altero sexu uti, quin potius laudi ducendum dicunt, quod quem natura adeò ditavit, ut duplicis sexus functionibus satisfacere queat. Sed Resp. ad primum, quod hac in re pœ-

nam reperiri vel rogari per Romanos non fuerit necessarium, quia antiqui superstitionibus addicti, quemcunq; Hermaphroditum cognoscentes, vel in mari vel in flumine protinus demergebant, cum ut supra *cap. V.* dictum, inter portenta mali ominis eos connumerarent aruspices, & non paterentur vivere: Hujus autem acerbitatis origo referenda est ad Legem 18. Romuli, cujus verba sunt: *Monstrosos partus sine fraude cedunto:* istius Legis Aruspices executores severissimi, eos in mare abjici curabant: proptereaque de tali casu solliciti non fuerunt Romani. Secundum quod attinet, quod nempe non indecens, sed potius laudi ducendum sit, quod natura quempiam duplici modo ditavit, ut utroque munere fungi possit, falsum est, & male infertur; Quis quæso honestatis amans dixerit, illud quod ex potentia naturæ facere possum, id etiam honestum & decorum est? Ex hoc etiam sequeretur, illum, quem natura ubertate seminis & potentiâ virili adeò instruxit, ut multis uxoribus satisfacere queat, & plures uxores simul ducere posse, mundumque numerosâ prole beare licere: Quia vero hoc contra honestatem, bonos mores, contra disciplinam Ecclesiasticam, & res pessimi exempli foret; ita etiam pariter honestati repugnaret, si Hermaphrodito concedendum sit simul & uxorem ducere ut vir, & nubere viro ut fœmina: & Hermaphroditum hoc omnino facere non posse, firmiter statuendum est: Est enim in hoc casu impotentia honestatis, de qua loqvitur *l. non aliter. ff. de usu & habitat. & l. filius ff. de condit. institut.* ubi dicitur: Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, Autor Microscopii Statistici *cap. 3. §. 1. p. m. 198.* Et posse id demum quisque videtur, quod jurè, quod honestê, quod salvâ dignitate potest, *l. nemo potest. 55. ff. de legat. 1. & d. l. filius ff. de condit. instit.* Wesembec. *in §. 1. vers. & libertas verb. vi aut jure Instit. de Jur. personar.* Angel. Henr. Schilbock *ad §. impossibilis Instit. de hered. instit.* & nihil magis impossibile est, quàm quod dignitati & honestati repugnat, *§. 1. vers. aut jure prohibetur Inst. de Jur. person. l. facta §. si sub conditione ff. ad SC. Trebellian.* Mynsinger. *ad §. impossibilis Institut. de hered. instit.* sicut etiam Claudianus dicit:

com-

- - - - - - - comprime motus,

Non tibi quod liceat, sed quid fecisse decebit

Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Nulla enim in peccando posita est potestas, *can.1. distinct. 4. & c. sunt quidam.c.22.qu.1.* quia magis deficientia est, quàm potentia, & tantum quisque potest, quantum jure potest. Stephan. Nathan. *in Justit.vulner.curat.part.2.tit.11. cap.9.num.5.* omnisque indecentia dicitur impossibilis, Archi Diaconus *in cap.super eo, de haret. l.9.* Gravetta *in tract.de antiquit.temp part.1. fol.25.n.9.* sicuti omne inhonestum dicitur impossibile, *l.23.ff. de stat. homin. c. ut juxta x. de offic.ordin.c.indecorum de atat. & qualitat.c. contingit. de arbitr.* Honestum autem id solum esse, quod populari fama gloriosum est, testatur Cicero *lib.2.de finib.*

Sed *Num Hermaphroditus viduus possit nubere viro ut fœmina?* in dubitationem venit. Et sunt nonnulli qui existimant, hoc posse facere Hermaphroditum; & licet Hermaphroditus juramento elegisset sexum, & promisisset, alio uti non velle, quanquam peccatum committat juramentum transgrediendo, attamen validè contrahat, quia natura concessit illi facultatem contrahendi sub utraque specie, quam non amisit per electionem unius sexus: Neque à Jure Naturæ, neque à Jure Canonico tale matrimonium irritatur, cùm non adsit impedimentum dirimens hujusmodi contractum: Et hanc sententiam tuetur Thomas Sanchez *de matrimonio, lib.7.Disp.106 num.8.* quem sequitur Bonacina *de matrimonio qu.3.punct.13.num.29.* Trullenchus *tract.de Sacramentis lib.7.cap.9.dub.16. num.37.* Ildephonsus Perez de Lara vero, *in Compendio vitæ hominis cap. 11. num. 49.* contrarium tenet, quod licet in jure non videatur prohibitum, satis tamen hoc prohibere statum matrimonii præcedentis, & sufficere firmari in justitiâ publicæ honestatis, *arg. l.scire 15. §. consequens ff. de excusat. tutot.* Si autem sexus, quo prius contraxit, finito matrimonio frigescat, altero autem incaluerit, & se continere nequeat, tunc consulendum dicit Romanum Pontificem, qui poterit ei licentiam indulgere; cum non mirum sit, quod fiat mutatio caloris

 de

de uno ſexu ad alium; ſiquidem & ſexus mutationem fieri & ſæpe contigiſſe pluribus comprobat Torreblanca *de Magia l. 2. c. 17.* Deinde etiam neminem adeò ſtultum ac dementem fore credo, ut cum in primo matrimonio viri officio functus fuerit, imperiumque maritale exercuit, deinceps in ſecundo matrimonio ſequiorem ſexum eligat, imperioque alterius ſe ſubjiciat, cum id plane abſurdum eſſet.

Sed quid ſi contingat Hermaphroditum utroq; ſexu uti, num propter talem uſum, is capitali ſupplicio puniendus? Pierius Valerianus *lib. 18. Hieroglyphic. pag. 185. verſ. at etiam.* capitalem pœnam illi infligendam eſſe ſtatuit, & quidem tunc maximè, quando ſe juramento adſtrinxit, ſe altero ſexu uti nolle, quem ſequitur Libaultius *lib. 11. Origin. cap. 3.* Alderovandus *tract. de monſtris cap. 1. pag. 41.* Baſilins Ponce *de matrimonio lib. 7. cap. 65. n. 8.* Martinus Perez *de matrimonio Diſp. 37. ſect. 13. n. 2.* Torreblanca *de Magia c. 17. n. 8.* & *de jure ſpirit. lib. 5. cap. 9. num. 13.* Alphonſus Caranza *tract. de partu cap. 17. n. 68.*

Verùm Laurentius Mattheu & Sanz. *in tract. de Re Criminal. controverſ. 48. n. 40.* capitalem pœnam hic infligi poſſe, non vult, ſed tantum pœnâ perjurii talem Hermaphroditum teneri, quæ de Jure Civili capitalis non eſt, ſed mitior, *text. in l. duo Patroni 13. §. ſi quis juraverit, l. in duobus, 28. §. fin. ff. de Jurejur. l. 22. ff. de dolo.* Imo de Jure Codicis ſoli Deo ultio relinquebatur, *l. 2. C. de reb. credit.* Jul. Clarus *in §. perjurium n. 11.* Tiberius Decianus *tract. Criminal. l. 6. c. 7. n. 1.* Carpzovius *in Prax. Crimin. part. 1. qu. 46. n. & ſeqq.* Covarruv. *in cap. quamvis pactum part. 1. cap. 7. in princip.* Don Joan Vela *de delictis part. 1. cap. 28. n. 33. & ſeqq.*

Sed quid *Si duo Hermaphroditi in utroque ſexu potentes, unus ſub habitu & nomine viri, alter ſub habitu & nomine fœminæ à teneris usq; educatus, ignorantes alterutrius conditionem, matrimonium in facie Eccleſiæ invicem contraxerunt, minimè detecta illa qualitate Parocho, & poſtea ex promiſcuo uſu Veneris, ambo gravidi facti, partumq; ediderunt, num hoc caſu capitali ſupplicio afficiendi ſunt?* Negativam ſententiam

tenet

tenet supra laudatus Laurentius Matthæu & Sanz. *dict. controv. 48. por tot.* idque ex sequentibus rationibus: (1) Quod in Jure Civili non reperiatur lex aliqua, per quam ultimum supplicium, vel alia quævis pœna Hermaphroditis invicem copulatis, utroq; sexu utentibus, imponatur. Et licet nonnulli ad tuendam contrariam sententiam adducant ex Jure Canonico textum, *in can. Presbyteros 38. 16. q.* 1. & *can. diversis de Clerico conjugat.* Veruntamen iis inspectis, nihil de Hermaphroditis aut pœna eorum reperitur. Nam *in d. can. Presbyteros.* Summus Pontifex Gregorius III. Maximino, Episcopo Siracusano rescripsit, ne permitteret presbyteris Abbatis officium per monasteria exercere, ex superadditâ ratione: satis enim incongruum est, si cùm unum ex his, præ sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumq; judicetur idoneus. Quæ ratio conformari poterat *ex c. Sanctorum dist. 70.* quo cavetur, ne aliquis ad duas Ecclesias titulares simul promoveatur; ibi, *omnino autem in duabus aliquem titulari non licet.* Idem cavetur *in c. singula dist. 69.* ibi, Singula Ecclesiastici Juris officia, singulis quibusq; personis, singulatim committi jubemus. In *d. c. diversis de Cleric. conjug.* autem, Innocentius III. tractat de Clericis, qui duo beneficia Ecclesiastica obtinebant, & matrimonium contraxerunt, & Episcopo Norvicensi mandat, ut beneficiis similes Clericos privet, ex addita ratione, *quia in eorum conversatione cithara cum Psalterio male concordat.* Nempe vitæ secularis alacritas, cum vitæ Ecclesiasticæ gravitate, ut exponit glossa ibidem. In his ergo Juribus nihil de Hermaphrodito utroq; sexu in matrimonio utente, dicitur, nihil de pœnâ capitali, talia committenti indictâ, legitur. Et ut plurimum argumentum desumi potest ad probandum incongruum esse, quod una & eadem persona utroque sexu utatur ad Venereas voluptates, sicut incongruum est, quod idẽ sit Clericus & Abbas, ut obtineat duas Ecclesias; aut male concordare, quod quis agat ut vir, & patiatur ut fœmina, sicuti male concordat, quod conjugatus beneficia possideat Ecclesiastica, uti hoc latius persequitur Ildephonsus Perez de Lara *in Compend. vitæ hum. cap. 11. n. 20. & seqq.* Ex hoc tamen inferri non potest, pœnam capitalem imponendam esse, cùm regula ab his juribus deprompta, per quam dicitur, incongruum esse, quod

quis eodem tempore duplici officio vel ministerio fungatur, plures limitationes & fallentias admittat, ut notat *gloss. in dict. c. singula* quia licet difficile sit, ut unus homo duorum vicem sustineat, ut ait Paulus *in l. si plures 9. ff. de pact.* Cordate dixit, quod est *difficile*, non tamen impossibile, quia sæpius in jure contingit, quod unus diversis rationibus diversas personas repræsentet. Quod verò dicitur, Actionem & Passionem concurrere non posse, hoc juxta Philosophorum tradita intelligendum est, ejusdem de eodem. Si enim natura dispensat, ut una eademq; persona, vir & fœmina sit, non frustra duplicem potentiam concedit, ita ut agere possit tanquam vir, & pati tanquam fœmina, absq; repugnantiâ ex parte naturæ, & sic usus hujus potentiæ in crimen imputari non potest. Imò licet Aristoteles, *lib. 1. de generat. animal. c. 20.* dicat, *at fœmina qua fœmina, patiens est, mas qua mas, agens, & movendi principium est.* Tamen plures nostri temporis Philosophi tenent, quod fœmina concurrat activè ad generationem prolis, ita ut illa sola in actuali generatione immediatè activè operetur, ut habet Petrus Hartado *de Generatione Disp. 2. Sect. 6. §. 72.* Quo posito, cessat incompatibilitas actionis & passionis, vel saltem ratio imponendæ pœnæ, cum in eis, qvi Hermaphroditi non sunt, actio & passio experiatur absq; pœnâ. Si enim tot de causis actio & passio permittitur ex sola consideratione necessitatis, utilitatis, vel temporis, quæ accidentaliter eveniunt, quantò magis, dum natura ipsa concedit in duplicato sexu facultatem agendi & patiendi: jura namque naturæ nullius juris positivi vinculo subjiciuntur, §. *sed & naturalia Instit. de Jur. Nat. l. jura 8. ff. de Reg. Jur.* ubi Petrus Faber *num. 6. & seqq* Nec est quod nonnulli objiciant, talem Hermaphroditum qui utroque sexu promiscuè utitur, peccare contra naturam; Nam hoc tantum de eo intelligendum est, qui sexu ad generationem incapaci utitur: Ad hoc enim, ut tale peccatum inter homines committatur, requiritur, quod emissio seminis fiat eo modo, quo generatio sequi non possit; Natura namque per libidinis usum intendit propagationem & sic, dum perficitur extra vas generationi naturale, contra naturam fit: Et hoc est perdere sexum locum suum, ut eleganter dicit Imperator *in l. cum vir. 30. C. ad* Leg. *Jul. de adulter.* ibi, *ubi sexus*

perdi-

perdidit locum; ubi Venus mutatur in alteram formam. Quando autem duo Hermaphroditi inter se copulati, utroque sexu potentes, promiscue es utuntur, neque extra vas naturale operantur, neque finis naturæ suæ frustratur, cum vere generare possint, neque sexus perdit locum, quia libido exercetur per instrumenta ad hoc procreata, neque Venus mutatur in alteram formam, quia realis viri & fœminæ conjunctio fit respective ad bonum prolis, & ad effectivam generationem omnia ordinantur, & sic nullum nefandi criminis vestigium reperitur, ipsâ naturâ ordinante, dum absque incompatibilitate actionis & passionis, unicuique duo membra genitalia concessit, alterum viri, ut agat, alterum fœminæ ut patiatur. Membra enim proprie dicuntur ea, quæ per se habent aliquod officium separatum, ut docet Bartolus *in l.2.ff.de publ. judic.* ibique communiter Doctores & Baldus *in l. dam opera. C. qui accusar. non poss.* Ex Canonistis Abbas *in cap. accusasti de de accusat.* Ex Philosophis Aristoteles *l.1.de part animal. c.5.* ibi, *non enim sectio serræ gratia facta est, sed serra sectionis gratia, cum sectio quædam usio sit. Quapropter animæ gratia corpus conditum est, & membra officiorum gratia constant, & munerum, ad quæ singula accommodantur.* Usus enim membrorum a natura concessorum, non potest cuiquam in crimen imputari, dum exercentur in eum finem, ad quem natura produxit, nec fiat contra præcepta Dei. Nec refragatur quicquam *l. fœdissimam. 20. C. ad* L. *Jul. de adulter.* quam regulariter interpretantur de fœmina agente tanquam vir, sicut *d.l. cum vir.* de mare patiente tanquam fœmina. Aliqui putant hunc textum intelligendum de fœmina incubacum viro succubo agente, per vas tamen naturale, quod innuere videtur Farinacius *quæst. 148. n. 43.* Sed hæc opinio rejicienda est, quia licet hoc laudabile non sit, crimen tamen non est, imo & culpa caret, ut probat Thomas Sanchez *de matrimonio lib. 9. Disp. 6. num. 3:* Alii interpretantur de Tribada, nempe fœmina, quæ tanquam mas in alia fœmina Venerem explet, sive id fiat fricatione, sive clitoride sive alio materiali instrumento, de quo *gloss. in d. l. fœdissimam.* Julius Clarus *in §. fornicatio. numero 25.* Farinacius *d. quæst. 148. n. 35. & 40.* Tiraquellus *ad* L. *9. Connubial. numerus 107.* Petrus Gregorius *in Syntagm. Jur. univ. lib.*

36. cap. 14. num. 2. Carpzov. *in pract. crim. quæst. 76. n. 17.* ubi distingvendum putat Laurentius Matthæu & Sanz. *in tract. de Re Criminal. dict. controv. 48. n. 46.* nam si fœmina clitoridem naturaliter aptum ad generandum habuerit, cum ad generationem ordinetur, non esse crimen credit; Si fricatione, extra ordinem puniendam esse, si cum instrumento ligneo vel vitreo, pœnam capitalem infligendam, ex doctrina Antonii Gomesii *leg. 80. Taurin. n. 34.* quem fere omnes sequuntur; licet Antonius Matthæus absolute pœna ordinariâ teneri dixerit. De ultimâ autem specie textum interpretatur Dionysius Gothofredus *in d. l. fœdissimam.* Sed quamvis superior doctrina cum adducta distinctione approbanda sit, non tamen interpretatio dicti textus probari potest, quia verba ejus non congruunt mulieri agenti sed patienti fœdissimam Venerem. Nam Imperatores Diocletianus & Maximinianus sic dicunt: *Fœdissimam earum nequitiam, quæ pudorem suum alienis libidinibus prosternunt:* namque de fœminis pudorem suum prosternentibus, hoc est, prostituentibus, ut in *l. palam. ff. de rit. nupt.* vel subjicientibus, ut in *c. venient. de accusat.* dicitur; quæ omnia patientis sunt, non agentis, & sic potius referendum ad meretrices vel fœminas plurimorum stupra patientes, ut Dionysius Gothofredus in eodem textu interpretatur, vel ad ea, quæ de effrenata libidine Tiberii refert Tacitus *l. 6. annal. in princip.* ibi: *Sæpe in propinqua digressus, aditis juxta Tiberim hortis, saxa rursus & solitudinem maris petiit pudore scelerum & libidinum, quibus adeo indomitis exarserat, ut more regio pubem ingenuam stupris pollueret, nec formam tantum & decora corpora, sed in his modestam pueritiam, in aliis imaginem majorum incitamentum cupidinis habebat, tuncque primum ignota antea vocabula reperta sunt sellariorum & spintriarum ex fœditate loci ac multiplici patientia.* Ad quem locum Taciti, ut hoc obiter notem, intelligit Adrianus Turnebus *Adversarior. lib. 5. cap. 1.* per Spintriam eum, qui muliebria patitur, seque aliis abutendum præbet; & pro Spintria Dionis compendium πεπορνευκότα dixisse scribit; i. e. prostitutum & stuprum passum; & cum effœminati essent, in eis Spinter effœminari & spintrias vocari, unde & origo appellationis sit. Quid autem sint Sellarii, & cur a fœditate sic dicti, non explicat,

cat, nec hoc etiam Lipsius in Commentario suo *ad dict. loc. Taciti.* præ pudore explicare vult, unde & ego etiam intermitto, ne castas aures offendam. Sed hoc in transitu. Ex supra dictis locis autem nihil de Hermaphrodito utroque sexu utente reperitur, quia Venerem exercet per membrum destinatum ad generandum; & sic ex *d. l. fœdissimam* nihil inferri potest, ad pœnam eidem imponendam, licet verum sit, quod si Hermaphroditus imperfectus data opera abutatur membro ad generationem notorie invalido, lato modo dici potest, quod peccet contra naturam, quia utitur instrumento inepto ad bonum prolis. Sed hoc casu pœna extraordinaria puniri debet, ut in similibus probat Farinacius *qu. 148. n. 64.* Ex his apparet, quod omnis coitus, ex quo generatio sequi potest, licet peccatum sit in foro interiore seu conscientiæ, excepto matrimoniali, in foro exteriori crimen punibile non est, nisi concurrat qualitas, per quam crimen fiat, ut sacrilegium, raptus, stuprum, adulterium, incestus &c. per tradita Pauli Grillandi *in tract. de pœn.* Don. Ioan. de Vela *de Delictis Part. 1. c. 1. n. 29. & 33.* Pichardus *in Manuduct. ad Praxin. Part. 3. §. 4. n. 22. & seqq.* Carpzov. *in Pr. Crimin. Part. 2 quæst. 51. & seqq.* ubi quædam crimina ex libidine provenientia accurate ex professo pertractant, de Hermaphrodito autem utroque sexu utente nullam mentionem faciunt; nec credendum est, quod prætermitteretur ab omnibus, si pœna ultimi supplicii, vel alia qualibet Hermaphroditus taliter faciens puniendus esset, inprimis dum neque Juris Civilis lege neque alia expressa coerceatur aut comprehensum appareat.

Porro Qu. *An matrimonium jam contractum inter duos Hermaphroditos in utroque sexu potentes consistere possit, eo modo, ut reciprocus usus corporum ex utroque sexu licitus sit?* Martinus Perez *n tract. de Matrimonio Disp. 37. sect. 15.* de hoc dubitat, eo quod contineat intrinsecam & maximam indecentiam, ob usum promiscuum utriusque sexus, quem ipsa naturalis ratio summe abhorret & detestatur. Verum Laurentius Matthæu & Sanz *de Re criminali Controvers. 48.* affirmativam sententiam amplectitur, & quidem ex sequentibus rationibus. Quia sicut unusquisque eligens sexum ad contrahendum, rite & recte

contrahit: & cum de Jure Civili nuptiæ ſive matrimonium eſt maris & fœminæ conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens, ut docet Juſtinianus *in princip. Inſtit. de patr. poteſt.* ſive ut Modeſtinus *in l. 1. ff. de rit. nupt.* conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio; clare ſequitur, quod Jure Civili Romanorum ex conſenſu duorum Hermaphroditorum contrahentium, unius ſub ſpecie viri, alterius ſub ſpecie fœminæ, veræ & perfectæ nuptiæ reſultent, individuam vitæ conſuetudinem efficientes, ſive conſortium totius vitæ & communicationem divini & humani juris, Nec obſtat textus *in l. quod pupilla 30. in fin. ff. quando dies legat. ced.* ibi: *non poteſt videri nupta, quæ virum pati non poteſt.* Nam hæc verba reſpiciunt aptitudinem & conſenſum præſtandum, ut nuptiæ efficiantur, quæ elicitur ab ætate, qua puella fit pubes vel viripotens, de quo late & pluribus Didacus Narbona *in tract. de Ætate anno 14. quæſt. 1. n. 10. & ſeqq. & qu. 9. n. 1. & ſeqq.* non autem cauſam efficientem contractus, quæ ad ſolum conſenſum contrahentium reducitur. Corporum namque conjunctio nihil niſi turpitudinem habet, nihilque dignum homine, quia in his cum belluis ratione carentibus æquari videtur. Unde ab Imperatoribus Theodoſio & Valentiniano, *ſordes coitionis* iſtæ turpitudines vocantur, *in l. lenones. 6. C. de ſpectaculis.* & prudenter perpendit Antonius Faber *in Juriſprudentia. tit. 10. pr. 5.* Ex quibus reſultat, quod adhuc in terminis Juris Civilis conjunctio maris & fœminæ, materialiter ſumpta, turpitudinem continet, ſordida res habetur, indecentia maxima belluis connaturalis exiſtimatur, *quod natura omnia animalia docuit*, ut ait Ulpianus in *l. 1. ff. de Juſtit. & Jur.* ita ut quoad hanc a brutis minime diſtinguamur, & nihilominus hæc ſordida licita fiunt per matrimonium, ob bonum ſobolis, quod per alia media acquiri non poteſt: Ergo turpitudo & indecentia non obſtat, quominus Hermaphroditi matrimonio copulati, promiſcue corporibus conjungantur, quia naturaliter ineſt in qualibet conjunctione conjugali cum hac differentia, quod coitus conjugalis licitus omni jure eſt, ad ſobolis procreationem Neque obſtat duplex modus coeundi, nam hoc inſeparabiliter conceſſit natura, dum unicuique adjunxit alium ſexum, ex quo licita omnia fiant, quia ratione adjuncti aliquid

quid permittitur, quod alias non permitteretur, ut docet Bartolus *in l. Imperator. 18. ff. de stat. homin.*

De Jure Pontificio idem procedit, quia matrimonium iisdem fere verbis definitur ab Alexandro III. *in cap. illud. 11. de præsumpt.* ibi, *est viri & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem continens*: & sic tradunt omnes Doctores Canonistæ. Late Covarruv. *lib. 4. Decretal. tit. de Sponsalib part. 2. cap. 1. n. 1.* Et sicut de Jure Civili consensu, non copula matrimonium perficitur, sic similiter de Jure Pontificio, ut probat textus *in cap. 1. & cap. 4. 27. q. 7.* ibi, *matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas.* Idem probant textus *in cap. cum locum. 14. cap. cum apud. 23. cap. cum fraternitati. 25. de Sponsalib.* fiuntque contrahentes duo in carne una, *Genes. 2. Matth. 9. v. 5. Marci 10. v. 7.* Ex quo sequitur reciproca potestas corporum ad opus generationis, ut docent Lessius *lib. 2. cap. 3. dub. 2. num. 7.* Layman. *in Theologia morali. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 1. n. 1.* Nam secundum doctrinam Apostoli Pauli *1. ad Corinth. cap. 7. vers. 4.* Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter quoque & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quocirca ambo tenentur obligatione justitiæ ad debitum Conjugale persolvenduu, mediante copula, ut omnes Doctores tradunt. Et quanquam primus finis essentialis matrimonii intrinsecus consistat in mutua traditione corporum, absque eo, quod de prole suscipienda tractetur; finis etiam secundus matrimonii proprius est sobolis procreatio, quia ad hoc institutum fuit ante peccatum Adami, & post peccatum ad concupiscentiæ remedium, sicut Apostolus in *d. cap. 7.* suadet, *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*: Qui finis dicitur extrinsecus & accidentalis ipsius matrimonii; sed quodcunque initum ob aliquem ex istis finibus, licite & valide contrahitur, Covarruvias *d. c. 1 §. 1. num. 6.* Trullenchus *tract. de Sacramentis lib. 7. c. 4. dub. 3. Punct. 3. & c. 5. dub. 3. num. 6.* Martinus Perez *in tract. de Matrimonio. Disp. 14. Sect. 2.* Thomas Sanchez *de Matrimonio lib. 2. Disp. 1.* Quilibet ex his finibus concurrere potest in matrimonio ab Hermaphrodititis contracto vel contrahendo, si in utroque sexu æqualiter & perfecte potentes sint: Et cum filii sint Adami & crea-

turæ rationales, propter finem operari credendum est, ut ait Aristoteles, *Ethicor.* 1. *cap.* 4. ac per consequens, quando matrimonium contrahunt, eâ intentione copulari tenendum est; quâ cæteri homines, & sic propter finem, ad quem institutum est. De verâ corporum traditione dubitari non potest, quia alias contractus esset nullus, & sic illa intenditur, quoties matrimonium contrahitur: De fine sobolis suscipiendæ, dum aptã naturam habent, ad generandum cum cæteris hominibus æquales sunt, ac per consequens, sicut desiderio cæteri rapiuntur ad generandum, ut quodammodo immortales fiant, sic similiter Hermaphroditi eodem affectu ducuntur. Tertius denique finis, nempe remedium libidinis ab Hermaphroditis intendi dicendus est duplici affectu, quia stimulis venereis ex duplicato membro dupliciter subjiciuntur, qui quidem finis obtineri complete ab ipsis non potest, nisi permittatur usus utriusque sexus promiscue, cum ex utroque peccati periculo exponuntur, & sic remedium adhibere utrique concedendum est. Unde Hermaphroditus sub specie viri ducens uxorem mulierem simplici sexu præditam, tenetur alia remedia quærere, per jejunia, abstinentiam & similia, necesse est, quia in Conjuge non habet remedium ad infirmitatem carnis sedandum. At in eo, qui copulatus per matrimonium cum altero Hermaphrodito, dum in Conjuge remedium habet in promptu, difficillimum erit abstinere, quia dum sexu permisso utitur, stimulis venereis uti est ferme necessarium, cum genitalia utriusq; sexus reperiantur in eadem corporis parte, & ex usu unius, aliud excitari fere necesse est, quare obnoxius remanebit periculo incontinentiæ, si in ipso conjuge non esset permissus usus alterius sexus: Si enim Conjux sub reatu culpæ mortalis tenetur subvenire conjugi, quando eum cognoscit subjici periculo incontinentiæ, ut docet D. Thomas *in sententia.* 4. *distinct.* 32. *quæst. un. art.* 2. *quæstiuncula* 1. *ad* 1. Thomas Sanchez *de Matrimonio. lib.* 9. *Disp.* 2. *num.* 6. quam conclusionem tenent etiam Victoria *in Summ. Sacr. cap. de reddit. debit.*, *num.* 275. Trullenchus *de Sacrament. lib.* 7. *c.* 9. *dub.* 2. *num.* 3. Basilius Perez *de matrimonio. lib.* 10. *c.* 2. *num.* 2. Si itaque licita est copula conjugalis ob solum finem vitandæ propriæ incontinentiæ, uti docent Basilius

lius Perez *dict. lib. 10. c. 8. n. 8.* Coninch. *de Sacrament. tom. 2. Disp. 24 dub. 1. n. 6.* Martinus Perez. *de Matrimonio Disp. 14. Sect. 2. n. 2.* cur in Hermaphroditis conjugatis modo prædicto coitio utriusque sexus improbanda, dum fere inculpabiliter periculo incontinentiæ subjiciuntur ex usu unius sexus, & si alio utantur iisdem corporibus, in quibus potestatem habent. Quod autem tales Hermaphroditi duplici sexu instructi periculo incontinentiæ subjiciantur, certum est, ratione occasionis proximæ, quæ frequenter se offert, dum cohabitant ut veri conjuges mutuo amore affecti, in eodem thoro recubantes, & quod magis est, ex usu veneris in sexu permisso, amplexibus, osculis, & tactibus in eo statu licitis, Appetitus enim sensitivus in venereis animalis est, non rationis, & licet rationi subjiciatur, fit tamen ut plerumque ratio a voluntate vincatur, quia pauci sunt, qui resistunt sensui, ut dixit D. Thomas *Part. 1. quæst. 115. art. 4.* Si enim ex visu, colloquio, vel sola cogitatione fœminarum, etiam prudentissimi viri tot pericula experti sunt, etiamsi austerâ & rigida maceratione corporales passiones opprimant? si in hâc materia sola fuga remedium est, ut dicit Apostolus, quid eveniet Conjugibus, quibus fuga est negata, cohabitatio necessaria, concursus in thoro geniali quotidianus, amplexus & collocutio continua, & cætera Conjugibus permissa, minime eis interdicta? Hi duo enim una caro effecti sunt, individua vitæ consvetudo concessa est, commercium inseparabile indictum: Ergo dum unus numero conjux utitur alio numero conjuge per instrumenta naturaliter apta ad sobolis procreationem, licite fieri posse videtur, dum hoc legibus nuspiam prohibitum reperiatur. Neque talis casus utriusque sexus contra naturam matrimonii videtur. Nec est quod quispiam dicere velit, quod virtute & æquivalentia inter duos & duas, quia quatuor sexus reperiuntur, virtualiter duo contractus sint: Ad hoc enim respondetur, quod Physice duo tantum contrahentes sint, & instrumentorum multiplicatione non multiplicantur contractus, neque duplex traditio corporum fit, quia duo tantum corpora sunt, quæ promiscue traduntur, neque multiplicantur individua contrahentium, neque duplex consensus in unoquoque, quæ sunt essentialia ad matrimonium;

cætera

cætera per accidens ſe habent, quæ nullius momenti ſunt, ut eleganter probat textus *in l. item Offidius. 10. §. 2. ff. de ædilit. edict.* ibi, *ſed ſi quis plures digitos habet, ſive in manibus, ſive in pedibus, ſi nihil impeditus numero eorum, non eſt in cauſa redhibitionis, propter quod non illud ſpectandum eſt, quis numerus ſit digitorum, ſed an ſine impedimento vel pluribus vel paucioribus uti poſſit.* Nam ſicuti in dicto textu ſervus non dicitur inutilis pluralitate membrorum, quando nihil impeditur ex multiplicitate, nam ut dixit Paulus, in *l. non ſunt. 14. ff. de ſtat. homin.* hoc eſt officia membrorum humanorum ampliare ſic ſimiliter ex multiplicitate genitalium, officia generationis ampliata dicenda ſunt, dummodo ipſius generationis effectus non impediatur. Et ex eo, quod per diverſa membra vel media ſeqvatur finis naturalis procreationis filiorum, aut finis accidentalis remedii libidinis, dum per vaſa naturalia quæratur, ceſſat cauſa peccati; naturam enim tantũ peccaſſe credendum eſt, dum procreavit monſtroſos contrahentes, non vero illos, qvi effecti duo in carne una, cum poteſtate reciproca corporum ad bonum ſobolis procreandæ, vel ad remedium libidinis ſuo jure utantur. Et hæc ſententia probari videtur (1.) quia in tali facti ſpecie electio ſexus facta non fuit, neque juramentum præſtitum de non utendo altero ſexu, ſed utplurimum electio præſumitur facta ſecundum geſtationem habitus, vel nominis, ſub quo unusquisque contraxit, quod non eſt ſufficiens ad impediendam facultatem a natura conceſſam, dum eos produxit potentes in utroq; ſexu, neque poteſtatem reciprocam corporum provenientem ex matrimonio, per quod jam ſunt duo in carne una. (2.) Secunda probatio deſumi poteſt ex communi doctrina Theologorum & Canoniſtarum, quam cum Alberto Magno, Gabriele Soto, Vivaldo, Vega & aliis tradit ſupra laudatus Thomas Sanchez *in d. tract. de Matrimonio lib. 9. Diſp. 16. num. 4.* ubi probat, quod, exceſſus Venereorum inter Conjuges, ſervato naturali vaſe, culpam venialem non egrediatur, nam ea quæ inter Conjuges fiunt, caſta & pudica dicuntur, textus *in l. mulier. 22. §. cum proponeretur. ff. ad Trebellian.* ibi, *quod & mulieris pudicitiæ, & patris voto congruebat.* Sed in præſenti ſpecie Conjuges corporibus in matrimonio mutuo traditis

utun-

utuntur,&naturalia vasa servant ad procreationem sobolis,quia apta ad generandum sub utroque sexu supponuntur, aut in effectu sunt.(3.)Tertia probatio sumitur a Simili, ex Schola Medicorum,qui asserunt,dari in eodem subjecto multiplicitatem genitalium ejusdem sexus. ut ex Julio Obsequente refert Ulysses Alderovandus *de monstris c.5.p.512.lit.D.* ubi refert mulieres duplici vulva natas;Si hujusmodi fœmina nupserit, nulla lege vel ratione astringitur ad simile vitium manifestandum, neque ad eligendum pro usu matrimonii unam aut aliam vulvam: Maritus autem virtute potestatis acquisitæ per matrimonium in corpore hujus uxoris,potuerit uti utraque vulvâ,neque aliqua lege astringitur ad eligendum, aut ante aut post contractum, hanc vel illam, absque eo, quod accessus peccaminosus sit,dum utraque apta sit ad coitum &generationem.Ergo sic similiter in Hermaphroditis, quia ex diversitate sexus non tollitur potestas corporum mediante matrimonio acquisita per contrahentes, & sic nulla ratione impediri potest usus promiscuus illorum corporum ad bonum prolis, nisi adsit jurisjurandi religio; quia semper Conjuges utuntur corporibus in quibus potestatem habent, ad finem naturalem, ratione cujus matrimonium institutum fuit.Ex quibus omnibus, quoad forum internum statuendum videtur;quod hujusmodi duo Hermaphroditi, quorum neuter ante contractum matrimonium alterius conditionem scivit, post consummatum matrimonium, si unum sexum non elegerint, alteroque se nolle uti,se juramento non astrinxerint,licite utroque sexu uti possint,virtute potestatis corporum acquisitæ per matrimonium,cum facti sunt duo in carne unâ ad finem naturalem, prolis, vel ad finem remedii continentiæ: Et ita sentit Laurentius Matthæu & Sanz *de Re Criminali controv.* 48.

Sed, *An inscius vel inscia Hermaphroditum in matrimonium ducens,possit agere ad dissolvendum matrimonium?* Et Resp, Hic ante omnia necessariam esse ocularem inspectionem Medicorum vel Chirurgorum peritorum,aut matronarum assertioni & testimonio standum.Si itaque facta inspectione constat quod Hermaphrodito neutrum sexum,ut natura requirit, recte constitutum aut conformatum,sed imperfectum habeat,ita ut neque agere,

neque pati possit, tunc omnino dissolvendum est matrimonium, cum plane pro impotente habendus sit: impotentia autem causam divortio & novis nuptiis præbet, Beust. *de Jur. Connub part.1.c.14.* Harprecht. *ad §. sunt & aliæ.11.n.156. Instit. de Nupt.* Conjuges enim ex divina Conjugii institutione una caro sunt, *Genes. c.2.vers.24. Matth.9.vers.6.* proinde si per impotentiam & sexus inhabilitatem illud obtineri nequit, conjugium declarabitur irritum. Evidens autem impotentiæ signum erit in viro, si careat utroque testiculo; item si virilia arida sint, quia tunc inutilia videntur, cum perinde sit, virilibus carere, & ea omnino inutilia esse: Et ita docent Innocent. *in cap. laudabilem. n. un. paulo post medium vers. justum iudicium de frigid. & malefic.* ibique Joan. And. *n. 9.* Abbas *n.2.* Præpositus *n.6. vers. justum iudicium.* Mascardus *de Probationibus. conclus. 889. num 4.* Licet sint quidam qui existimant, membri virilis siccitatem non esse signum omnino certum & evidens impotentiæ, ac illam necessario concludens sed verisimiliter evidens. Sicut enim per id membrum urina expelli potest, ita videtur etiam posse semen emitti; Sed horum rationi respondent Cald. Card. Flor. & Petr. de Saxoma, ut eos refert Præpositus in *d. cap. laudabilem. num.5.* fieri posse, ut per membrum sic cum emittatur urina, semen tamen emitti nequeat, quod diverso modo generentur, & aliqua impediant seminis emissionē, non tamen urinæ. In hâc verò Doctorum controversia sic statuendum censet Sanchez *in tract. de matrimonio. l.7. Disp.107. n.6.* Si membrum virile sit omnino siccum, esse signum omnino evidens & necessario concludens impotentiæ; & in hoc eventu esse veram priorum Doctorum sententiam, quia tunc is ut vir, aut seminis veri emittendi incapax esset, aut si verum semen emitteret, evidens esset, non posse illum membrum erigere, ut posset vas fœmineum penetrare, atque ita semen intra illud vas emittere, membrum enim omnino aridum vi motiva careret. Si autem non sit omnino aridum, sed taliter, ut Medici indicent, non esse certam & evidentem impotentiam, sed verisimiliter evidentem, tunc habere verum quod posteriores Dd. statuant: quod si non sit ita aridum, quin possit sufficienter erigi

ad co-

ad copulam, & de hac potentia constet, non censendus est talis Hermaphroditus impotens.

In fœmina Hermaphroditâ vero signum impotentiæ evidens est, quando illa est arcta; & ita sentire videtur glossa, *in c. fraternitatis. in princip. verb. Matronas, de frigid. & malefic.* cum ait; *Quando mulier est arcta, non exigi juramentum propinquorum*, & docent Innocentius *in cap. laudabilem de frigid. & malefic. num. un. verb. justum indicium.* Joan. And. *ibid num. 9.* Præpositus *ibid. num. 6. super verb. justum indicium*, Rosella *in verb. divortium. num. 3. &* ibi Silvest. *quæst. 19. num. 22.* Mascardus *de Probat conclus. 889. num. 4.* Sed nec hoc ita certum esse signum quidam volunt, cum statuant arctitudinem mulieris non esse sigum omnino certum & evidens, sed evidens verisimiliter; & ideo censent; quod arctatio illa sit per matronas inspicienda, quorum oculos sæpe fallitur, *cap. ne aliqua. 27. q. 1.* & judicium Medicorum similiter sit sæpe fallax, ut experientia demonstrat. ac notatur *cap. proposuisti de Probat.* nisi mulier ita arcta esset, ut cuilibet inspicienti clare liquere possit, eam non esse capacem alicujus membri virilis, ut optime explicat Speculator *in cap. de frigid. & malefic. §. un. num. 3.* Thomas Sanchez *in tr. de matrimonio lib. 7. Disp. 107. n. 7.*

Nec proprie loquendo tunc fit divortium, sed duntaxat decernitur, conjugium illud statim ab initio fuisse nullum. Unde non tam ob ipsam impotentiam mariti; quam ob dolum & fraudem ejus, conjugium annullatur. Cum enim scit talis Hermaphroditus impedimentum coeundi, & tamen Sponsalia contrahendo talem se venditat, qui debitum conjugale rite exsolvere possit, omnino fraudulenter agit, Sponsæq; imponit, & ob hunc dolum contractui matrimoniali causam dantem, talis contractus fit ipso jure nullus, *l. & eleganter. 7. §. ff. de dol. mal.* Hartm. Pistor. *part. 1. quæst. 23. n. 2.* Schneidewin. *in princ. Instit. de Actio. n. 15.* Fab. de Anna *Consil 24. n. 10.* Exurgit itidem ex hujusmodi Conjugio Hermaphroditi magnum scortationis & adulterii periculum, cui per se veritatem pœnæ vix occurri potest, cum uxori adimatur medium, quo ustionibus carnalibus resistere possit; & hâc ratione uxor ope conjugali & remedio contra ustio-

nem privata delinquens, a pœna excusatur, & duntaxat extra ordinem punitur, *arg. l. si adulterium. 35. §. Imperator. 8. ff. ad* L. *Jul. de adulter. l. qui cum major. 14. §. si libertus. 6. in fin. ff. de bon. liberton.* Hippol. de Marsiliis *in pract. crimin. §. quoniam. n. 62.* Felinus *in cap. dilecti. 8. X. de except.* Et hoc non tantum in uxore ex impotentia & inhabilitate viri obtinet, verum etiam in marito, Hermaphroditam in uxorem ducente: non etenim quod uxori permissum, marito interdictum est: Si etenim uxor audienda est ob inhabilitatem viri, cur non etiam pariter vir audiendus licentiam novarum nuptiarum quærens, si cum uxore ob vitium & impotentiam corporis, vel ex angustia vulvæ, vel protuberante clitoride & membro virili, coire non possit, ex natura correlativorum, quæ eandem juris dispositionem exigit, Alexander *l. 5. Consil. 131. n. 2.* Ripa *in l. si plagii. 123. n. 11. ff. de verb. oblig.* Nicol. Boerius *Decis. 48. n. 3.* Modest. Pistoris *l. 2. Consil. 42. n. 23. vers. correlativorum.* & secundum Labeonem *in l. quod pupilla. 30. ff. quando dies legat.* nupta videri non potest, quæ virum pati non potest.

Quod si vero ex inspectione appareat, quod Hemaphroditus in eo sexu, in quo Sponsalia vel nuptias celebravit, non incalescat, & in suo sexu quem elegit inhabilis & incapax sit: e. gr. Si Hermaphroditus ut vir, duxit fœminam, & tamen apud eum fœmineus sexus potentior sit; aut si ut fœmina nupsit viro, in ea autem sexus masculinus incalescat magis, tunc pari ratione tale matrimonium dissolvi potest.

Si autem in tali Hermaphrodito utriusq; sexus genitalia, ita perfecte conformata sunt, ut in dubio sit, ad quodnam genus, an masculinum an fœmininum referendus sit Hermaphropitus tamen in eo genere quem elegit, alteri Conjugi impotens & inutilis videatur, ex inspectione autem Medicorum, Chirurgorum aut Obstericum non appareat, in qnonam sexu ille plus incascat, quid tum faciendum? Et respond. quod tunc distinguendum sit, an impotentia illa sit perpetua, an vero temporalis: Si perpetua, statim dissolvendum est matrimonium, sin temporalis, non item. De impotentia perpetua est textus *in cap. 2. de frigid. & malefic.* quando autem impotentia est temporalis, tunc non dirimi matrimonium constat *ex. cap. fraternitatis.*

tatis. verf. quamvis igitur. dict. tit. Ratio autem utriusque partis ea est, quod perpetuæ impotentiæ repugnet obligatio ad copulam conjugalem ex matrimonii contractu consurgens. Impossibilium enim nulla potest esse obligatio, *l. impossibilium. ff. de Reg. Jur. & c. nemo ad impossibile. de Reg. Jur. in 6.* secus de impotentia temporali; qui enim in præsenti non est solvendo, cum tamen sit spes fore in futurum, potest ad solvendum obligari, cujus obligationis incapax ex, qui nunquam solvendo foret.

Si vero Hermaphroditus in eo sexu quem elegit, potens sit & munia sua rite obeat, e.gr. si ut vir uxorem suam quam duxit, semine prolifico fœcundet aut si Hemaphrodita a viro cui nupsit, gravida facta fuerit, neutiquam talis pars ad dissolvendum matrimonium agens, audienda est, sed matrimonium firmum subsistit, cum in eo finis matrimonii, qui est procreatio sobolis, remediumque libidinis obtineatur.

CAPUT VII.

De Habilitate & Inhabilitate Hermaphroditi quoad Juris effectus.

SUperiori Capite vidimus quantum Hermaphroditus in vita Conjugali habilis & aptus sit; in hoc Capite perlustrabimus, quatenus ad officia & alia opera secundum juris requisita habilis & admittendus sit,

Et quia supra dictum est in Cap. II. triplicem imprimis esse Hermaphroditorum differentiam, nempe quod sint vel perfecti masculi, vel perfectæ fœminæ, vel utroq; sexu æqualiter va-

leant. Itaque tantum is, qui perfectus mas est, vel qui utroque sexu valet, & virile tantum elegit, quoad juris effectus, inter viros connumerandus, & ad res, officiaque viris tantum concessa admittendus erit,

Attamen hoc non semper, & inprimis quoad effectum Juris Canonici, & officia secundum ejus requisita, obeunda, obtinet. Unde secundum præscriptum Juris Canonici, Hermaphroditus religionem ingredi non potest, ex æque sit fœmina ac vir; quia licet in quantum vir, sit capax Religionis Monachorum; est incapax quia fœmina, & si ut fœmina possit ingredi monasterium Monialium, nequit tamen quia masculus, prout tradunt Henriquez *l. 4. de irregul. c. 8. n. 6.* Navarra *Consil. 8. n. 3. de ætate & qualitate, & Consil. 47. n. 3. de regularit.* Thomas Sanchez *in tract. de matrimon. l. 7. Disp. 106. n. 3.* Et si prævalet in sexu fœmineo, incapax est Ordinis Clericatus Jure Divino & etiam beneficiorum, sed si in masculino est incapax Jure Canonico, quia reputatur infamis, *c. si testes. 4. qu. 4.* Filiuccius *de beneficiis. c. 5. n. 3.*

Ex eadem ratione non admittitur ad Ordines Ecclesiasticos Hermaphroditus, cum æque est masculus ac fœmina, quia ut fœmina repellitur propter sexum muliebrem, *can. mulieres, dist. 32.* His siquidem adeo Ecclesiasticis ministeriis interdictum est, ut nec ad altare quidem accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos consistere sive considere, aut sacra vasa vel sacrates pallas contingere illis liceat, etiamsi Sanctimoniales sint, *cap. 1. in fin. x. de cohabitat. Clericor. & mulier. can. Sacratas. dist. 25. c. in sancta. 41. cap. vestimenta. de Consecrat. distinct. 1.* Cardin. Turrecremata *in c. si testes. §. Hermaphroditus. num 3. & 4. quæst. 3.* Et quidem inprimis talis Hermaphroditus in quo neuter sexus prævalet, sed æqualis est, quod omnes asserunt, in hoc eventu eum esse incapacem ordinis, instar fœminæ, uti videre est apud Henriquez *de Irregular. cap. 8. num. 6.* & Navarram *lib. 1. de Ætate & qualitate.* ubi similiter eum esse incapacem profitendi ait, & utriusque rationem addit, quod æque sit fœmina ac vir, ac proinde, quamvis ex eâ parte, quâ vir est, possit videri capax ordinis, at quia est incapax ex ea parte qua est fœmina, absolute incapax appellari debet: Similiter si profiteatur in virorum monasterio, non patitur professio, quia æque est

eſt fœmina ac vir; ſi autem in monialium monaſterio, non tenet, quia æque eſt vir ac fœmina. Thomas Sanchez *in tractat. de Matrimonio lib. 7. Diſp. 106. n. 3.*

Jacobus Brandmüllerus vero *in Manuductione ad Jus Canonicum & Civile, voce Hermaphroditus*, vult, non promiſcue cum aliquibus dicendum Hermaphroditum propter monſtroſitatem, & ex ea indecentiam, non eſſe ordinandum, cum hæc monſtroſitas, quæ latere poteſt, non attendatur, ſed reſpondendum; Si Hermaphroditus in ſexum fœmineum inclinet, non tantum eſſe irregularem, ſed & incapacem characteris. Idem eſt, ſi utrumque ſexum participet, quia non eſt vir, quod ejus denominationem abſulute non recipiat. Nec obſtat quod hoc caſu illi detur optio; hoc enim procedit, quoad actiones externas & civiles, non etiam quoad ordinum capacitatem, quæ non pendet ex electione unius ad alterius ſexus, ſed ex naturali perſonæ conditione. Quid vero ſi urgeat neceſſitas, quâ Pontifex etiam mulieribus virilia imponit, ut ſi Monialibus per feneſtellam altari propinquam adminiſtrare concedat? Reſpondet Brandmüller *dict. loc.* tantam eſſe copiam ut metus neceſſitatis ſubeſſe nequeat. (2) Copiam hanc augent inutiles Monachi de quibus Campanella *in Monarch. Hiſpan.* qui trunci ſunt & ſtipites, & mulieribus præferuntur; inutile ſunt lignum, ſunt illud lignum, quod cœcutientes adorant. (3) Feneſtellà non feneſtrâ, ne forſan tranſitus ad Sacerdotem pateat; altari propinquam adminiſtrare Sacerdoti, non eſt fieri Sacerdotem. Brandm. *d. loc.*

Et hoc quidem regulariter circa Ordines ita obtinet, quando expreſſe conſtat aliquem eſſe Hermaphroditum occultando autem hanc qualitatem aliquem etiam ad Monachatum admitti poſſe tradit Laurentius Matthæu & Sanz. *in tract. de Crim. controverſ. 48. n. 14.* ubi exemplum refert de quodam Monacho, qui anno 1478. reperto fuit, regnante in Gallia Ludovico XI. in utro geſtare, ex Roberto Gangvino *l. 10. annal.* Larcell. Donat. *de Mirabilibus Hiſtor. Med. lib. 6. cap. 2.* Alterovand. *de monſtris caput. 5. pag. 516.* quemadmodum etiam de aliquibus fœminis, quæ ſimulato ſexu admiſſæ antiquitus ſunt, licet ea detecta qualitate,

Herma-

Hermaphroditus admittendus non esset, tanquam incapax Monachatus, neque ad Clericatum, tanquam irregularis, ob infamiam, vel corporis defectum: Sic tenet Henriquez *de irregular. l. 4. c. 8. n. 6.* Navarr. *Consil. 8. n. 3. de ætate & qualitate & Consil. 47. n. 3. de irregul.* Thomas Sanchez *de matrimonio. l. 7. Disp. 176. n. 3.* Filliuccius *de beneficiis c. 5. n. 3.* Lezana *in Summa quæst. regul. tom. 1. c. 2. n. 20.* Svarez. *tom. 5. in 3. part. Disp. 51. quæst. 2. num. 1.* Tamburinus *de Jure Abbat. tom. 1. Disp. 5. quæst. 2. num. 41. & tom. 5. Disp. 6. quæst. 3. num. 22. & 23.* Laur. Matthæu & Sanz, *d. loc.* Ex hoc fere conjicere licet Papam Johannem VIII. Hermaphroditum fuisse, in quo aut uterque sexus æque perfectus ac potens fuit, aut fœmineus magis prævaluit qui pariter occultando hanc qualitatem primo ad Monachatum, & deinceps per gradus ad Summum Pontificatum evectus fuit, & postea in processione Sacrum partum edidit, cujus historiam apud Platinam *de Vitis Pontificum p. m. 201. b.* vide. Et certe hoc casu in eligendo Papa non sufficeret nuda palpatio per sellam perforatam, an membrum virile habeat, sed ocularis inspectio necessaria foret, annon etiam sub hoc membro virili, vel ad latus ejus lateat membrum fœmineum, ne Hermaphroditus eligatus similisque casus iterum contingat.

Et cum Professores in Universitatibus etiam privilegiis Clericorum gaudeant, occasione supra dictorum non incommode quæritur, *Num Hermaphroditus possit esse Rector Universitatis?* Bauhinus quidem *in suo tractatu de Hermaphroditis lib. 1. cap. 40.* hanc quæstionem in medium profert, verum nihil certi decidit. sed hæc tantũ responsionis loco profert; *Rector non potest esse Clericus bigamus, nec Clericus uxoratus, nec Hermaphroditus, nec minor viginti annis,* & ad hoc adducit Baldum *in Authent. Habita col. penult. vers. item dico. de Clerico uxorat. C. ne fil. pro patr.* & Bertachinum *in Repertorio part. 3. voce Rector.* Verum hic distingvendum puto inter Hermaphroditos: Si enim in Rectore eligendo sexus fœmineus superet masculinum, aut si uterque sexus æque potens sit, illum ad officium Rectoris non admittendum esse videtur, cum hoc casu sceptra fœminæ committerentur, & Gynæcocratia sequeretur, quâm tamen omnes, qui Politicarum rerum scientiam profi-

profitentur, odio habent, communique suffragio honores & munera publica viris committenda ac deferenda volunt, illosque Reipublicæ præficiendos, mulieres autem longissime à curiæ limine arcendas, intraque parietes continendas, quantumvis genere nobilissimæ, sive etiam divitiis potentissimæ, vel etiam virtute præstantes sint. Et hæc est vetus sapientia, ab omnibus omni tempore sapientibus tradita & observata, eademque firmissimis communita rationibus, etiam in hujus usque seculi posteros quam longissime derivata. Natura enim masculinum genus ad imperandum magis fecisse quam fœmineum scribit Aristoteles, *Politic.l.1.c.8.* Quippe præterquam, quod multis naturæ, vitiis fœmina est contaminata: Etiam laudabilis ac bonæ mulieris à viri diversa est virtus, veluti temperantis & fortitudo. Etenim vir si sic fortis esset, ut est mulier fortis, non fortis sed timidus magis haberetur. Tum naturæ legibus ita est comparatum, ut qui cæteros animi dotibus & ingenio superat, inferioribus imperet, & qui minus industria valet, is meliori pareat. At quanto vir muliere ingenio & virtute præstet, notum est: Constat enim quod Summus hominis opifex Deus Ter Opt. Max. fœminis quidem pectus instruxit dolis, sed vim negavit, ut dicit Seneca *in Octav.* Præterea huic imbecillæ naturæ nec vera imperii instrumenta suppetunt: nam constantia vacillat, nec ulla diu fœmina pondus habet; & *lib.11.eleg.* dicit Propertius, sed & consilium muliebre plerumque in deterius, ut scribit Tacitus *in Annalib.* & contra propria commoda laborat, ut ait Imp. Justinianus. Quid quod etiam ex omnibus, quæ proprie mulieri sunt innata vitia, unicum ejus imperium respuit maxime, Animus nimirum lubricus: Sceptro siquidem lubrico, necessario inclinat Respublica; unde Aventius exclamat; *Quæ dementia est illa, mulierem dominari? varium & mutabile semper fœmina, nunc dat, nunc auffert dominatus, modo hoc, modo illud statuit.* Et sub sceptro mulieris, maximo in discrimine Respublica versatur. Debet itaque Imperium & jus dicentis officium, cum dignitate, autoritate, decore & gravitate esse, non vilitate & dedecore conjunctum, debet is qui jurisdictioni præest, discretus, *c.judicantem 31. q.5.* Speculator. *tit. de offic. omn. judic. §. ult. n.2.* judicio & consilio validus, animo con-

stans & minime avarus esse, cum nihil sit, quod jus dicentis majestati magis adversetur, quam vel vilitatis contemptus, uti probat Goveanus *ad l.4 ff. de Jurisdict. n 7. & 8.* vel rerum gerendarum imperitia ac sensuum ruditas, vel judicii consiliique defectus, Hippol. de Marsilius *Cons. 118. n. 3.* Cagnolus *in l. 2. n 3. ff. de Reg. Jur.* vel denique mentis lubricitas, Cagnolus *d. l. 2. n. 3.* & detestanda avaritia, *l. solent. §. non vero in totum.* ibique Bartolus & Baldus *ff. de Offic. Proconf. & Legat.* Lucas de Penna *in l. per Illyricum C. de Cohort. & in l. ad splendidioris C. de divers. offic.* Atque his potissimum de causis in Repub. Romana Legibus provisum est & cautum, ut regulariter mulieres ab omnibus officiis civilibus & muneribus publicis arceantur; ut & Lege Salica sancitum, ne Gallorum Regnum in colum cadat. Quod si vero Rector Hermaphroditus magis in sexum masculinum incalescat, utique in Rectorem Universitatis jure optimo eligi potest, quia pro viro reputatur, actionesque omnes suas regimini suo convenientes & dignas conformare censetur.

Et hæc omnia quæ jam de Rectore Universitatis dicta sunt, etiam in Consulem, Judicem & alium quemlibet Magistratum, quem fortasse contingit Hermaphroditum esse, accommodanda sunt. Et licet hoc nostro seculo non constet, talem Hermaphroditum Physicum ad hujusmodi imperandi munus adhibitum fuisse, experientia tamen sæpe comprobat, ut hoc luculento imperandi munere fungantur Hermaphroditi Morales, hoc est, γυναικοκρατούμενοι, qui imperium cum uxoribus dividunt, consiliaque communicant, & quandoque etiam ex illarum nutu ac voluntate sententias & decreta concinnant, unde & majus subditorum & ruricolarum ad eas refugium, quas aliquot sexagenis ovorum, aut aliquot paribus gallinarum, globulis lini, & similibus donis placant, quo benignior ipsis imperantibus ac præsidentibus, earum causa, & ex voto cadat. Tales autem Hermaphroditi Jurisdictionem tam egregiam exercentes, plane indigni sunt imperio, omnibusque contemptibiles, pro vilibusque & abjectis habentur, uti notat Alexander *Consil. 156. col. 3. vers. secundo respondeo lib. 6.* & Petrus à Bella Pertica *in l. curatorem C. de interdict. matrimon.* miserrimos eos esse dicit, qui uxoribus obedire coguntur,

ibi-

ibique Cynus maritos deridet, qui non ex D. Hieronymi, imo D. Apostoli Pauli *ad Ephes. c. 5.* sententia uxores diligere, non autem timere, ab illis vero diligi non timeri debeant; sunt tamen adeo miseri & Gallinacei, (ita enim loquitur Cynus) ut non audeant sibi invitis uxoribus extrahere sarabulas; & post eum Baldus, qui hos quoque maritellos vocat. Et Maximinus Philosophus, *Locor. commun. c. 39.* dicit, ὑπὸ γυναικὸς ἄρχεσθαι, ὕβρις ἀνδρὶ ἐσχάτη, *id est*, mulierem dominari summum est viro dedecus. Cui consonat illud Euripidis *in Electra.*

Καὶ τοί τοδ᾽ αἰσχρὸν προστάττειν τῶν δωμάτων
γυναῖκα, μὴ τὸν ἄνδρα

hoc est, Turpe esse, uxorem domi præsidere, non virum. Plura de hujusmodi γυναικοκρατουμένοις vide apud Tiraquellum *in Leg. Connubial 1 num. 17. & seqq.*

Quare svaserim Dnn. Rectoribus, Consulibus, Judicibus, Præfectis Municipalibus, reliquisque Jurisdictionem aliquam exercentibus, ne imperium suum cum uxoribus suis dividant, neque eas stante audientia, in auditorio justitiæ post fornacem latere, & quæ à partibus hinc inde proponuntur, observare sinant, decretaque & sententias, quomodo sint ferenda, cum ipsis communicent; sunt enim nonnunquam partes litigantes & ex his simplices rusticelli, duplices nequam, & tam emunctæ naris, ut talem γυναικοκρατίαν facile subodorare possint, exindeque suspecta judicia apud eos exsurgunt.

Et hæc de habilitate Hermaphroditi quoad effectum Juris Canonici: Nunc habilitas ejus quoad effectus Juris Civilis spectanda:

Et primo quidem circa eorum personam quæritur, *Num liberi sint vel servi?* Jure quidem Romano, summa personarum divisio erat, quod homines aut liberi sint, aut servi, *princ. Instit. de Jure person. & l. 3. ff. de stat. homin.* & sub illa divisione etiam Hermaphroditi continentur, unde si ex matre libera Hermaphroditus nascebatur, liber, si ex matre serva nascebatur, servus habebatur, cum partus ventrem sequatur. Nostris vero temporibus, ubi talis servitus, quæ apud Romanos erat, non amplius obtinet, omnes Hermaphroditi nati, pro liberis hominibus censentur.

Quoad effectum arrogationis, Jure quidem Antiquo Romanorum, Hermaphroditus, in quo ſexus maſculinus prævalebat, rite arrogari poterat, quia pro mare habebatur: Hermaphroditus vero, in quo aut ſexus fœmineus prævalebat, aut uterque æque perfectus erat, arrogari non poterat, cum hic æque fœmina ac vir, ille ſimpliciter pro fœmina reputabatur; fœminæ autem olim arrogari non poterant, Ulpianus *in Fragmentis tit.* 8. quia olim arrogationes fiebant apud populum Comitiis Curiatis, cum fœminis autem nulla comitiorum communio, propterea quod jure à majoribus prodito, nemo Civis Romanus aut civitate privari, aut in alterius poteſtatem tranſire poterat, niſi populus autor fieret, Cicero *pro domo ſua.* indeque Gellius arrogationem dictam vult, quod rogatione ad populum lata ſit: ſic enim ille *Noct. Attic. l.* 5. *c.* 19. de ea ſcribit: *Arrogari non poteſt, niſi veſticeps; arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam tranſitus, per populi rogationem fit; Ejus rogationis verba hæc ſunt; Velitis jubeatis, uti L. Valerius,* L. *Titio, tam jure legeque filius ſibi ſiet, & quam ſi ex eo patre matreque familias ejus natus eſſet: utique ei vitæ neciſque in eum poteſtas ſiet, uti pariendi filio eſt: hoc ita, ut dixi, ita Vos Quirites rogo. Neqve pupillus autem, neque mulier, quæ in Parentis poteſtate eſt, arrogari poſſunt, quoniam cum fœminis nulla comitiorum communio eſt, &c.* Hodie vero fœminæ ex Reſcripto Principis arrogantur, *l. nam & fœminæ ff. de adoption.* Joh. Borcholt. *ad tit. Inſtit. de adoptation. ad* §. *cum autem impubes.* unde & ſimiliter Hermaphroditi, cujuscunque tandem ſexus fuerint, arrogari poſſunt.

Sic etiam in puncto adoptionis, quemadmodum olim fœminæ regulariter liberos alienos adoptare non poterant, cum adoptio ſit modus acquirendæ patriæ poteſtatis, adeo, ut qui liberos in poteſtate non habet, etiam adoptare non poſſet; fœminæ autem liberos ne naturales quidem ſuos in poteſtate habent; ita etiam nec Hermaphroditi, qui aut fœmineum ſexum potentiorem, aut æque potentem habent, adoptare poterant; conceſſa tamen deinceps etiam fœminis poteſtate adoptandi, ex indulgentia Principis, in ſolatium nimirum liberorum amiſſorum, etiam ſimul hæc poteſtas & Hermaphroditis cujuscunque ſexus, conceſſa eſt, *l. ſed & quæſitum 6. ff. de liber. & poſthum.* Herman.

Vul-

Vultejus *ad §.sed & illud 7. Instit.de adoption.n.4.* Joh.Borcholt. *ad §.fœminæ quoque Instit.de adopt.*

Quoad testimonium dicendum; Sicuti mulieres in testamento testes esse non possunt, per *text.in §.testes autem*, ibi: *sed neque mulier. Instit.de testam.ordin.l 20.§.mulier.6.ff.eod.* ita etiam Hermaphroditus testis in testamento esse nequit, quia in omni casu, in quo mulier à testificando repellitur, in eo etiam repellitur Hermaphroditus, ut per Speculat. *in tit.de teste §.1.n.82. in fin. versicul.item quod est Hermaphroditus* & ibi in addit. Joan. Andr. *lit. G. verb.Hermaphroditus.* Abbas *in cap.quoniam n.1.vers.quid in Hermaphrodito x.de testib.n.49.* Nellius *de testib. n. 20. versic. Hermaphroditus non admittitur.* Joan.Marianus Monticellus *in suo repertorio testium verb.testis Hermaphroditus fol.38.col.2.vers.penult.* Hoc tamen limitatur, ut procedat tantum, quando Hermaphroditus prævalet in sexu fœmineo, vel saltem non magis in uno, quam in alio sexu; unde secus, si prævaleat in masculino, quia tunc masculo æquiparatur & non repellitur à testificando in testamento, *l. quæritur ff.de stat.homin.l.repetundarum §.1.ff. de testib. cap.si testes §. Hermaphroditus 4 quæst.3. ibique gloss.in verb.ad testimonium, item gloss. in §.testes autem in verb.sed neque mulieres vers. quid de Hermaphrodito Instit. de testament.ordinand.* Farinac. *quæst.59.n.57. & 58.* Alphonsus de Caranza *de partu c.17.n.68.*

In reliquis autem casibus omnibus, utpote in contractibus in Judiciis & similibus, ubi mulieres à testimonio per dispositionem Juris non prohibentur, etiam Hermaphroditi, nulla habita consideratione sexus prævalentis, testimonium perhibere possunt.

Sed quid, *Num in contractibus mulierum, in quibus ex statuto requiritur consensus propinquorum, comprehendatur Hermaphroditus?* Et Respondet Tiraquellus *in Legg. Connub. Gloss.5.n.7.* quod non, cum Hermaphroditus sit mixta persona, in Statutis autem sub simplicibus mixtum non contineatur, uti probatur *in l. quid ergo §.1. vers.ex sententia ff.de his qui not. infam. juncta l.1.§. si is qui ff. de exerc.* & voluit Bartolus post Jacob. Butr. *in l.certi condictio §. quoniam ff. cert.pet.* & Baldus *in l.omnes populi col.7. vers. item si statum dicat. ff. de Justit. & Jur*, ubi tenet statutum disponens in contractu mu-

lierum, requiri consensum propinquorum, non habere locum in mixta persona, videlicet in Hermaphrodito, per text. *in l. hoc legatum ff. de legat.* 3. & idem Baldus *in §. omnium post princip. Institut. de Action. & Consil. 237. quidam magnificus paulo ante finem lib.* 3. ubi dicit quod statuta seu Consvetudines Feudorum, deferentes Feudum ad descendentes masculus, non includant Hermaphroditum, *per d. l. hoc legatum* & alia quæ allegat, & Angelus *Consil. 256. col. 2.* Corneus *Consi. 137. col. 3. n. 10. lib.* 1. & recentiores *in l. 2. in princ. ff. de Verb. oblig.*

Potest item Hermaphroditus, in quo virilia prævalent, posthumum hæredem instituere, *l. sed est quæsitum 6. §. Hermaphroditus 2. ff. de liber. & posthum. hæred. instit.* Quod si vero Hermaphroditus magis in fœmineum quam masculum sexum inclinet, aut si ex paritate & æquivalentia utriusque sexus genitalium, æque fœmina ac vir sit, posthumum instituere non potest, cum hoc non fœmina, sed testator masculus tantum facere possit, sive uxorem duxerit, sive minus; nam si & uxorem habuerit, non ex ea tantum nascendum instituere censetur, sed & ex uxore quacunque, per *l. 4. & 5. ff. de liber. & posth. hæred. instit.* ibique Paulus Busius *in suo Comment.*

Sic etiam Hermaphroditus in quo masculinus sexus prævalebat, in hæreditate succedere poterat, si vero in sexu fœmineo magis incalescebat, aut uterque æqualis potentiæ erat, tunc ut fœmina succedere non poterat, quia olim Saxones excludebant fœminas ab hæreditate, præsertim rerum immobilium. Petr. Heigius, *quæst. jur. part. 1. quæst. 8.* Quemadmodum & olim apud Romanos in usu fuit, ut fœminæ ab hæreditate parentum excluderentur; eo quod partim soli masculi familiæ sint conservatores, *l. 1. §. sed et si 13. ff. de ventr. inspic.* partim soli publicis officiis atque muneribus præesse & prodesse possint, fœminæ vero sint familiæ suæ finis, *l. pronunciatio 195. §. mulier. 5. ff. de Verbor. signif.* & ab omnibus civilibus vel publicis removeantur, *l. 2. ff. de Reg. Jur.* Indeque factum est, ne prorsus nudæ ex ædibus paternis ejicerentur, ut iis consuleretur utensilibus, manu sua forte paratis & opera, sicut enim viri, bellis perpetuo implicati cum hostibus, pro tutandis & dilatandis finibus suis eminus pugnabant; ita & fœminis

minis rei familiaris cura incumbebat, inprimis ut lanam & linum tractando, nendo, texendo, mensam, lectos, & reliqua suppellectilia instructiora facerent & ornatiora, *artic. 5. in princip.* Weichbild. *ubi gloss in princip. & fin.* Imo & antiquis Saxonum Legibus ab Heroldo editis, *tit. 6. §. 1.* indotatæ fuerunt fœminæ, & pro his Sponsus pretium offerebat parentibus & tutoribus, quo Jure Germani antiquitus omnes, teste Tacito, Burgundiones etiam & aliæ gentes usæ leguntur, *leg. Burgund. tit. 6. §.* 12. Brissonius *de rit. nupt. p. 15.* Gvibertus *de dotibus c. 1. n. 3.* Cujacius *in c. 1. x. de Sponsal.* Atque hinc Theodoricus de Niem *de privileg. & jurib. Imperii tit. de Saxonia.* Legibus Saxonum diserte cautum, ait, ne mulier, quatumvis excellens, in patrio dominio succedere valeat

Quoad Jus Feudale, quatenus habilis sit Hermaphroditus, dispiciendum est: Et inprimis quidem in concessione Feudorum considerandæ sunt personæ, tum Feuda concedentes, tum ea accipientes.

De Personis Feudum concedentibus JCtus Feudista *tit. 3. l. 2. Feud.* talem Regulam ponit: Cuivis licitum esse feudum constituere, qui modo liberam habet bonorum suorum administrationem, Schenck Baro *ad tit. 3. lib. 2. feud*, ibidemque Cujacius. Rosenthal. *de feudis cap. 3. concl. 2. n. 1.* Bocerus *in Investit. feud. cap. 3. n. 113.* Ex hac regula apparet duo conjunctim requiri in Personis feudum constituentibus: *Primo*, ut Domini sint bonorum illorum, quæ in feudum concedunt; *Secundo*, ut etiam eorundem bonorum liberam administrationem habeant. Hæc duo quando in Personis simul concurrunt, illæ feudum concedere possunt, in quibus vero horum alterutrum deficit, feuda concedere non possunt. Unde constat nullam rationem dignitatis aut ordinis habendam esse, idcirco & quilibet Paterfamilias plebejes de bonis suis aliquem investire valet, *tit. 3. tit. 30. §. cæteri lib. 2. Feudor.* Bocerus *de Investitura feud. c. 3. n. 113.* Zasius *in Epitom. feud. part. 5. n. 31.* Rosenthal. *de feudis cap. 3. concl. 2. n. 2.* Jacobin de S. Georgio *in verb. in feudum n. 16.* Seysellius *in Spec. Feud. cap. qui feud. dar. poss. part. 3. ampl. 1.* Petrus Ravenna *ad tit. 3 lib. 2. feud.* Dissentit tamen Duarenus *in Comment. feud. c. 6. n. 9.* Fachinæus *Controv. Jur. lib. 7. contr. 74.* Niellius *Disp. feud. 2. th. 1.* Nec itidem rationem sexus habendam,

dam, cum & fœmina sit Domina bonorum suorum, eorundemq; etiam legitimam & liberam administrationem habet, proindeq; & illam feudum alicui concedere posse, *tit.1.in pr.lib.1.Feud.tit.4.* *§.1.vers.fœminam.lib.2.Feud.* Vultej. *de feudis lib.1.c.3 n.9.* Zas. *in Epit.feud.part.5.n.33.* Rittershus. *in part it.J.Feut.l.1.c.5.qu.21.* Carpz. *in Synopsi J.Feud.Dis.3.th.10.* Unde & Hermaphroditus, quando bona possidet, illorumque Dominus est, & liberam administrationem eorum habet, absque ullo respectu sexus, sive masculinus, sive fœmineus in eo prævaleat, sive in utroque æque potens sit, Feuda concedere aliis potest.

Quod autem Personas, quæ Feuda accipere possunt, attinet, communis & antiqua Feudistarum de Hermaphrodito sententia est; Hermaphroditum in feudo succedere posse, quando in eo masculinus sexus prævaleat, Baldus *in l.fin. C. de suis & legitim.* Alvarottus *in c.1.n.8.an marit.vel alias imperf.feud.ret.2. Feud.tit.36.* Schrader. *de feudis part.7.c.5.n.172.* Rosenthal. *de feudis c.7.concl.28.* *n.15.* Sonsbec. *de feudis part 9.n.74.* Borcholt. *de feudis cap.5.n.45.* Mozzius *de substant.feud.n.94.* Vultejus *de feudis lib.1.c.9.n.61.* Rittershus. *de feudis lib.1.c.6.qu.10.* Verum cum in textu *tit.3. lib.2.* *Feud.* expresse dicatur, *Personam accipientis investituram non distingnimus,* sequitur quod feuda quivis accipere possint, nulla sexus aut qualitatis habita ratione ac differentia. Et licet etiam olim fœminæ feudi capaces regulariter non erant; hodie tamen quin feuda habere possint, nulla amplius dubitatio est, non solum quod hoc ita sit receptum usu, sed & propter textus feudales expressos, *tit.17.& tit.30 lib.2.F.* Vultejus *Comment.feud.lib.1.cap.4 n.5.* Duaren. *in comm.feud.c.16.n.15.* Ant.Conzius *de feudis. c.6.* Schrader. *de feudis part.4.c.3.n.7.* & alii plures. Deinde & nulla habita ratione qualitatis, etiam mutis, surdis, furiosis & mente captis, aliisque impefectis & ad servitia feudalia inhabilibus personis feudum noxum constitui possit, Vultej. *d.c.4.n.11.* Rosenthal. *de feud.c.3.concl.18.* Bocer. *de investit.feud.c.3.n.134.* Zasius *in Epitom.* *feud.part.5.n.66.* Borcholt. *de feud.c.5.n.50.in fin.* quæ licet personæ omnes ad servitia Domino præstanda, ineptæ sint, attamen feudum constituens conditionis illarum bene gnarus, præsumitur eis hanc gratiam fecisse, ut per tertium servitia feudalia præstare

& mi-

& militare possint, *arg. l. 2. ff. de jurisdict.* Carpzov. *in Synopsi Jur. feud. Disp. 3. th. 42.* Schrad. *de feudis part. 4. c. 3.* ubi tamen *n 8.* subdit, hæc tantum secundum juris communis dispositionem procedere, secundum vero Juris Saxonici placita, tales præmemoratas personas, omnesque alias, quorum pater, avus aut proavus nobiles non fuerint, feuda nova acquirere non posse, & si quis hisce personis sciens atque prudens feudum concesserit, hæc concessio, vivo quidem tam Domino feudi quam vasallo investito valere atque tenere, sed vel Domino vel vasallo mortuo, etiam superstitibus hæredibus masculis, hanc investituram evanescere, & feudum rursus vel ad Dominum feudi, vel hæredes illius reverti. *art. 2.* Lehn-Recht. Utique etiam Hermaphroditi sine ullo discrimine sexus, sive masculinus in eo prævaleat, sive fœmineus, sive uterque æqualis incalescentiæ sit, feuda accipere, & in illis succedere possunt, cum illa distinctio sexus, etsi in pluribus articulis obtineat, in casu tamen hoc feudali, ubi de accipiendo feudo agitur, attendi non debeat, quia uterque sexus feudum accipit, & ideo sive ad fœmineum, sive ad masculinum accedat, parum refert, uti tradit Dominicus Arumæus *Disp. feud. 3 th. 23.*

Pari etiam ratione Hermaphroditi si in iis masculinus sexus prævaleat, possunt succedere in fideicommissis familiarum Nobilium, de quo vid. Philip. Knipschild *in tr. de fideic. fam. nobil. c. 8. n. 98.* Item in Emphytevsi & Majoratu, de quo Franciscus de Caldas Pereyra & Castro *de Jur. Emphyteut. part. 1. lib. 1. qu. 17. & 18. & l. 2. q. 24.*

Quoad irrogationem pœnarum, iterum aliquid singulare Hermaphroditum habere, Doctores nonnulli volunt, itidemque circa incalescentiam sexus distingvunt: Si enim in Hermaphrodito magis incalescat sexus masculinus, eum ordinaria pœna pro ratione delicti, quæ alias viris imposita est, plectendum dicunt, si vero magis in sexum fœmineum incliner, mitius cum eo agendum, & sicut fœminis, ita etiam illi pœnam mitigandam censent, cum propter sexum mitius agendum sit in pœnis cum mulieribus *l. sacrilegii pœnam in princ. ff. ad* L. *Jul. pecul. & l. si adulterium §. stuprum & §. fratres & §. incestum ff. de adulter. & c. sicut dignum in pr.*

de homicid.& c.indignantur 32.q.6. ubi eſt textus elegans, tanto gravius viros puniri oportere, quanto magis ad eos pertinet, & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Hinc etiam Theologi aſſerunt virum gravius peccare quam fœminam: Unde D. Thomas *2.2.q.163.art.ult.* cenſet, Adamum plus peccaſſe quam Evam, conſiderata conditione peccantium, quoniam ille erat perfectior, licet aliis circumſtantiis minus peccaverit: Quod & voluit Bonaventura *lib.2.ſentent.diſt.22.art.1.quæſt.3.* Hinc & vir fornicando aut adulterando gravius peccat, quam fœmina, habito ad id reſpectu, quod plus rationis vir habeat quam fœmina, licet aliis conſiderationibus plus peccet mulier. vid. Andr. Tiraquell. *in tr. de pœn.temper.caſ.9.* Hæc autem mitigatio pœnarum in Hermaphroditis in fœmineum ſexum inclinantibus, æque ac in fœminis, ratione ſexus, tantum obtinet in caſibus, à jure expreſſis, *l.fin. C.de jur.& fact.ignor.* Alexander *in l.ſi quis n.10.verſ.& ibi dicit.ff.de jurisdict.* ubi & Decius *n.34.verſ.ultimo notandum.* Ripa *in tract. de Peſte tit.de remed.præſervativ.contr.Peſt.n.245.* in delictis enim Jure Divino ac naturali prohibitis, fragilitas & imbecillitas ſexus fœminini ejusque ignorantia pœnam non mitigat Henning. Arniſæus *in tract.de Jur.Connub.c.5.Sect.8.n.33.* id quod multorum delictorum gravium pœnæ ſatis comprobarunt, quibus mulieres æque ac viri affectæ ſunt. Weſembec. *in Parat.ff.ad L. Jul. de adulter.n.18.* Petrus Theodoricus *in Judicio Criminali & Practico Diſp. 6.theſ.3.lit.L.* Unde in puncto Veneficii, Hermaphroditi cujuscunque ſint ſexus, capitali pœna afficiuntur, *l.eorum l.nemo l. multi ubi gloſſ.C.de malefic.& mathem.* & ex Conſtitutione Caroli V. Imp. pœna ignis veneficis indicitur, qui artibus diabolicis hominibus nocent; nec ulla hic differentia ſexus in Hermaphrodito venefico habenda, cum etiam fœminæ ad idem pœnæ genus teneantur, quia (1) leges hic nullam differentiam faciunt inter ſexum, ſed æque veneficas, lamias & ſagas, quæ magicas artes & ſuſurros exercent, & pactum cum diabolo ineunt, igni tradendas & concremandas volunt, *Exod.22.verſ.18.Levit.20.verſ.fin. Deuter.18. v.10.l.3.4.5.6.7.& ſeqq.C.de maleſ.& mathemat.l.cætera 4. §.1.ff.famil. herciſc.l.1.§.1.ff.ad L.Pompej.de Parricid. l. capitalium 28. §. venenarii*

ff.de

ff. de Pœn. Paulus *lib. 5. sentent. c. 23.* Gudelinus *de Lamiis l. 1. c. 11. n. 30.* Ludovicus Gilhausen *in arbit. judic. crim. c. 2. tit. 17. n. 7. post. med. & n. 16. post princ.* Matth. Berlichius *Pract. conclus. Part. 4. conclus. 5. n. 36. & seqq.* Matth. Stephani *ad Constit. Carolin. art. 109.* nec Imp. Carolus V. ullum discrimen sexus facit, ita enim in Ordinat. Crimin. art. 109. disponit: So jemand den Leuten durch Zauberey Schaden oder Nachtheil zugefüget / soll man ihn straffen vom Leben zum Tode/und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun. (2) Quia fœminæ æque ac viri artibus magicis & diabolicis, hominibus noxam inferunt, ut non dubitandum sit, quin & pari pœna plecti debeant, ob rationis identitatem, *l. illud 32. ff. ad L. Aquil. l. his solis 7. §. actionem 2. C. de revoc. donat.* Panormitan. *in c. quoniam frequenter 5. in 1. respons. n. 6. vers. si ergo eadem ratio est x. ut lit. non contest.* Matth. Colerus *de Process. execut. Part. 4. c. 1. n. 38.* Andr. Tiraquell. *in tr. Cessante causa Part. 1. n. 156.* Quod & in Elector. Saxonico obtinet, ubi in Constit. 2. part 4. §. 2. his verbis statuitur: Derselbe sey groß oder geringe/so soll der Zauberer/Mann=oder Weibes=Person mit dem Schwerdte gestraffet werden. Idem quoque obtinet in casu homicidii, in quo inter delinquentes quoad pœnam ipsis irrogandam, nulla sexus differentia admittitur, propter generalitatem textus *in l. nemo deinceps 3. C. de Episcop. audient.* ibi, *homicida quod fecit, semper expectet. Geneseos c. 9. vers. 6.* ibi, *Quicunque effuderit sangvinem humanum, effundetur sangvis ejus. Levit. 14. Matth. 26.* Joh. Gerhard. *in Loco de Lege Dei c. 4. sect. 9. n. 152.* Unde & Hermaphroditus crimen homicidii committens æque pœna gladii punitur licet in sexum fœmineum magis inclinet: Non enim imbecillitas sexus muliebris hoc casu ob atrocitatem delicti, veniam meretur, cum nil quicquam hac de re in jure expressum sit. vid. Carpz. *in Pract. Crim. P. 1. qu. 12. n. 14. & seqq. & qu. 50. n. 10. & seqq.*

TANTUM.

INDEX.

Sodo.